

**VISITA PASTORALE ALLA
CITTÀ DI VERONA
DI GIOVANNI BRAGADINO**

Vescovo di Verona

PRIMA VISITATIO 1742 Liber septimus

REGISTRO LXIII



1742

[A margine: CIVITATIS]
PRIMA VISITATIO ECCLESIARUM
CIVITATIS VERONAE
ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI
IOANNIS BRAGADENI
EPISCOPI VERONENSIS COMITIS ET CETERA
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI PAPAE
PRAELATI DOMESTICI ET ASSISTENTIS
LIBER SEPTIMUS
LXIII

Bernardo Ronchi Cancellario

Indice delle chiese parrocchiali

A – Santi Apostoli, carte 30^v
D – San Donato alla Colomba, c. 1
M – Santa Maria alla Frata, c. 16^v tergo
S – Santo Steffano, c. 41

Indice degli Oratori, Ospedali e Luoghi Pii

A – Arrighi oratorio privato sotto la Colomba, c. 6^v – Sant’Agnese sotto la Colomba, c. 14^v – Santi Anna e Bovo sotto la Frata, c. 24^v – Sant’Alessio, c. 79^v e 91
B – Beata Vergine del Terraglio sotto Santo Steffano, c. 75^v e 90^v
C – San Carlo sotto Santo Steffano, c. 68, 89^v e 91
D – la Disciplina sotto la Fratta, c. 22^v – Derelitti sotto Santo Steffano, c. 78^v e 90^v
F – San Felice, c. 67 e 89^v
G – Il Gesiol sotto Santo Steffano, c. 57^v e 88 – San Gregorio sotto Santo Steffano, c. 72 e 90
M – La Misericordia sotto la Colomba, c. 10^v – San Mattia sotto Santo Steffano, 58 e 88 – Mendicanti sotto Santo Steffano, c. 77 e 90^v
P – San Pietro in Castel sotto Santo Steffano, c. 63 e 89 – Santa Teuteria, sotto Santi Apostoli, c. 36
V – Verità, oratorio privato sotto la Colomba, c. 7

[1] In nomine Domini

Die dominico 14 mensis ianuarii 1742

Illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus veronensis, comes et cetera, sanctissimi Domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, in suo episcopali munere fungendo solicitus, huius civitatis pastoralem suam visitationem prosequi statuit; illaque pro hac die indicta parochiali ecclesiae Sancti Donati ad Columbam, ad cuius archipresbyterum opportune de more transmissum fuit intimationis edictum, una cum regulis de agendis ante et in ipsa visitatione, ut uberior fructus colligatur, ad eamdem parochiale ecclesiam suis quadrigis vectus iter fecit, secum sumptis reverendissimo domino Petro Antonio Albertinio iuris utriusque doctore archipraesbytero Sanctorum Firmi et Rustici ad Pontem, quem in vicarium visitationis deputavit, me procancellario visitationis, suis reverendis cappellanis caeterisque suae familiae. Illuc perventus, se obtulerunt nobilis dominus comes Iulius Caesar Montanari et nobilis dominus comes Benasutus Montenari, eorum devenerationis argumenta praestantes, quibus illustrissimus et reverendissimus praeſul humanissime respondit necnon [1^v] praesto fuit. Admodum reverendus dominus Ioannes Tretius archipraesbyter pluviali indutus, cum suo clero processionaliter, itaque, devote et obsequenter receptus sub baldachino, a sex admodum reverendis archipraesbyteris sanctae congregationis Cleri intrinseci huius civitatis, scilicet archipraesbytero Sancti Laurentii, archipraesbytero Sanctorum Apostolorum, archipraesbytero Sancti Quirici, archipraesbytero Sancti Tomae apostoli, archipraesbytero Sancti Marci et admodum reverendo domino Dionisio Bentegodi, rectore Sanctae Margaritae, super pulvinaribus in initio caemeterii stratis genuflexus, deosculata cruce a praefato archipraesbytero Ioanne Fretio oblata, processionaliter cum cantico Benedictus ecclesiam adivit illamque, facta aquae benedictae in eius limine aspersione ac thurificationis honore ab eodem archipraesbytero recepto, organis ac campanis sonantibus inter musicalium instrumentorum concentus, publice ingressus est. Ante altare maius genuflexus, preces Do fudit et interim consueta decantata fuere. Altare maius subinde ascendit et, recitata dicti titularis oratione, populo benedixit praemissoque Confiteor suam episcopalem indulgentiam de [2] de suo mandato publicatam impartitus est. Ad thronum a cornu evangelii sibi paratum venit, ibi receptus a duobus admodum reverendis archipraesbyteris, Omnium Sanctorum scilicet et Sancti Salvatoris ad Frignanum dalmaticis circumindutis ac suae illustrissimae et reverendissimae dominationi inservientibus. In obsequii argumentum eidem reverenter poeticum elogium italicico sermone lucubratum praesentavit dominus Carolus Angeli, alter ex deputatis contratae. Pontificalibus vero violacei coloris indutus, exequias pro defunctis in ecclesia et coemeterio ante ianuam maiorem iacente absolvit. Sumptis autem indumentis albi coloris praemissisque de more adoratione, hymno et thurificatione, augustissimum Eucharistiae sacramentum visitavit, quod ad altare maius in tabernaculo ligneo auro linito et pixide argentea intus inaurata sub argentea clavi bene servatum et custoditum invenit. Ex factis perquisitionibus, habuit Sacramentum debitissimis temporibus renovari; decenter ad infirmos deferri, datis [2^v] prius campanae signis et publicatis subinde indulgentiis associantibus impartitis; pro qua decentiori manutentione societas sanctissimi Sacramenti ibi erecta duodecim manutenet introititia. Sub hac cura mares, feminae et parvuli numerantur 875, quorum mares corpus Christi sumentes sunt 300, foeminæ communicantes 343 et parvuli ad eucharisticum Cibum non admissi 232; in toto hoc animarum numero nemo est praecetto paschalis communionis et confessionis inobediens. Vedit aliam pixidem argenteam, ostensorium item argenteum, umbellam, baldachinum, vexillum aliasque suppellectiles sacras, de quibus bene est provisum. Lampas die noctuque accensa et cerae manutenentur ab admodum reverendo archipraesbytero, cui tamen antedicta societas sanctissimi Sacramenti die dominico infra octavam Corporis Christi tribuit et praestat duodecim cereos dimidiae librae, idest libras sex cerae singulis annis. Sanctissimi Sacramenti visitatione peracta, nonnullis [3] utriusque sexus christifidelibus eucharisticum Panem propriis manibus sacer antistes erogavit. Porro sacerdotalibus paramentis indutus, iisdem in dalmaticis assistantibus archipraesbyteris, sacrosanctum missae sacrificium peregit iterumque aliquot aliis Eucharistiae sacramentum praestitit. Actis subinde Deo optimo maximo gratis, aliquibus utriusque sexus fidelibus Confirmationis sacramentum ministrevit. His absolutis, in parochiales aedes se recepit ac in cubiculo terreno, una cum praelibato suae visitationis vicario, pro tribunal sedit. Vocatus se coram sistit admodum reverendus dominus Ioannes Trecius, sacerdos veronensis aetatis annorum 64, rector archipraesbyter nuncupatus huius parochialis ecclesiae Sancti Donati ad Columbam, ad quam ab eadem contrata vi iurispatronatus eligendi et praesentandi, quo potitur, die 16 ianuarii 1725 praesentatus fuit et cum bullis episcopalibus diei 25 eiusdem mensis institutus et praesentavit relationem suae ecclesiae perpolite conscriptam, nec non inventarium et [3^v] policeam reddituum ac onerum, omnia in fine huius libri sub littera A reposita; ostendit quoque libros parochiales, baptizatorum scilicet, matrimoniorum, mortuorum et status animarum, bene digestos ac

servatos. Interrogatus vero de suo clero et populo, de utroque bene respondit nihilque de quo indolere possit habere fassus est. Eo dimisso, vocati comparuerunt: reverendus dominus Nicolaus Vigani Canella, sacerdos de oppido Malsesini aetatis suae annorum 38, confessarius ab annis decem huius curiae primarius adiutor, qui praeter caetera mandata ostendit confessionis mandatum die 16 iunii 1741, ad annum confirmatum. Reverendus dominus Franciscus Bertini, sacerdos aetatis suae annorum 70 circiter, a 40 circiter annis confessarius cum mandato episcopali ostento die 11 augusti 1741, ad annum prorogato. Reverendus dominus Paulus Marogna, oriundus a Pruno huius diaecesis, ab annis 40 incola Veronae, sacerdos aetatis suae annorum 48 et ab annis 22 confessarius; modo ad sanctimonialium confessarii munus deputatus, absens, impeditus ⁴ et excusatus. Reverendus dominus Alphonsus Maselli, sacerdos veronensis tres et triginta circiter annos natus, confessarius ab annis 7 cum mandato episcopali die 2 decembris 1741 ad annum confirmato, viso et restituto. Reverendus dominus Bernardus Pantini, bergomensis aetatis suae annorum 33, absens absque excusatione; degit domi Natalis Monica sub hac paroecia. Illustrissimus et reverendissimus praesul mandavit ipsum reverendum Pantini citari eique praecipi ut se praesentet in visitatione Sanctae Agnetis sub hac cura. Reverendus dominus Ioseph Ghedini veronensis, simplex sacerdos aetatis suae annorum 30. Reverendus dominus Ioannes Baptista Veronensis, simplex sacerdos aetatis annorum 27. Venerabilis clericus diaconus Franciscus Antonius Saiani, de Pilcante huius diaecesis, aetatis annorum 23. Venerabilis clericus in minoribus ordinibus constitutus Lazarus Luchini, veronensis aetatis aannorum 19. Venerabilis clericus Laurentius Ballini de Puteolongo huius diaecesis, ^{4v} minoribus ordinibus initiatu aetatis annorum 21. Venerabilis clericus Gregorius Palamidese de suburbio Sanctae Luciae Extra, habitum clericalem tantum gestans, aetatis annorum 21. Qui omnes cum deveneratione suorum respective ordinum mandata protulerunt. Comparuit quoque vocata Appollonia, uxor Caroli Trottii aetatis annorum 34, obstetrix sub hac paroecia, quae examinata praecipue de administrando sacramento baptismatis in casu necessitatis et bene se instructam praebuit. Item comparuere reverendus dominus Ioseph Brusco, sacerdos de Sancta Maria ad Fratam, capellanus vero in hac ecclesia officiturae unius missae singulis totius anni hebdomadibus ad eius placitum, quoad diem ordinatae a quondam Marco Antonio Fassina, suo testamento in actis domini Mauri Antonii Mauro notarii diei 2 decembris 1726, aperto et publicato die 12 martii 1729. Quod testamentum obtulit et eidem fuit restitutum. Contra quem reverendum dominum Brusco venit dominus Vincentius Alghisi, massarius societatis sanctissimi Sacramenti huius ecclesiae, perpetuae ⁵ executricis predictae testamentariae voluntatis Fassina et exposuit humiliter eumdem reverendum Brusco dictae officiturae onus iuxta testamentariam dispositionem singulis hebdomadibus non suportare; nam vacante a celebratione aliquibus hebdomadibus: aliqua alia hebdomada ter, vel quater celebrat pro suplendis ommissis, quod testatoris menti non est consonum et ideo reverenter instetit teneri celebrare iuxta praescriptum testatoris necnon de celebratione tali modo adimpta attestations praestare et ita et cetera. Idem reverendus dominus Ioseph Brusco, ibi praesens, super hoc negotio mandatis suae illustrissimae et reverendissimae dominationis se remisit et paratum praebuit et ita et coetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedicta instantia intellecta visoque citato testamento, decrevit ut reverendus dominus Ioseph Brusco singulis hebdomadibus unam missam celebret iuxta ordinationem testatoris Fassina vel, eo impedito, celebrare faciat per alium sacerdotem a se eligendum de consensu archipresbyteri, quod ut constet, ipse vel eius substitutus ^{5v} propria manu se subscribat in libro a reverendo archipresbytero in sacristia asservando iuxta constitutines ecclesiasticas et ordinationes nostras, et ita et cetera, omni et cetera. Reverendus dominus Dominicus Armani, sacerdos de Sancto Zenone maiori, aetatis annorum 31, cappellanus officiatura manualis ad altare Annunciationis beatae Mariae Virginis, de iurepatronatus nobilis domini Gasparis Brenzoni, a quo stipendum percipit ducatorum 90, cum onere quotidie celebrandi. Reverendus dominus Ioseph Levo, sacerdos de Sancto Silvestro aetatis annorum 32, cappellanus officiatura manualis ad altare iam beatae Mariae Virginis, modo sancti Antonii, cum onere celebrandi totius anni diebus festis, ex institutione quondam reverendi Hieronymi Montii, huius ecclesiae olim rectoris, stipe tradita a reverendo paroco pro tempore praefatae testamentariae voluntatis commissario, de iure tamen patronatus eligendi cum assensu reverendi archipresbyteri primogeniti nobilis familiae Gulientiae. Sumptis informationibus de reverendo archipraesbytero, responsum fuit cum laude. ⁶ Donec, datis signis pro doctrina cristiana, populus convocaretur, quieti se tradidit. Collectis iam de more pueris, qui tantum in hac ecclesia docentur, operariis ac magistris doctrinae cristianae factoque huiusmodi sancti operis initio, illustrissimus et reverendissimus praesul in ecclesiam descendit et in primis singulas classes peramanter visitavit; subinde pueris omnibus in unum collectis, eosdem per interrogationes expertus est ac bene instructos, cum animi eius laetitia, invenit. Elargitis propterea nonnullis muneribus recte respondentibus a confratribus paratis, plurimum ad sanctum hoc opus frequentiam et diligentiam in Domino comendavit. Caeterum haec schola doctrinae cristianae

optime est instituta et regulas typis traditas fideliter servat eiusque confratres tertia die dominica cuiuslibet mensis communionem frequentant, prout compertum fuit ex libro osteno a scolae cancellario, in quo adnotantur. Haec scola componitur duobus visitatoribus, scilicet domino Iosepho [6^v] Bertini, domino Ioanne Baptista Campetti, priore domino Angelo Cacioletti, sub priore domino Valentino Donatelli, cancellario domino Carolo Angeli, magistris 56, quorum sex sacerdotes, totidem clerici et reliqui sunt laici et 120 discipulis. Tandem, in obsequii signum erga suam illustrissimam et reverendissimam dominationem praesentata italica poesi, per consuetas preces absoluta fuit doctrina, vocatis de more per catalogum confratribus. Interim reverendissimus dominus vicarius visitationis se contulit ad invisenda oratoria privata sub hac paroecia existentia, scilicet: [a margine: Oratorio Arrighi] oratorium privatum in domo nobilis domini Antonii Arrighi, quod invenit cum portatili altaris ad mensuram canonicam et imagine depicta Iesu Christi crucem baiulantis, bene provisum et tentum. Fuit erectum ex indulto apostolico, prout liquet ex brevi osteno diei 24 maii 1738, a tergo sic inscripto: nobili domino comiti Antonio Arighi et comitissae Eleonorae Negroboni Arighi coniugibus. [7] Vedit sacras suppellectiles pro celebratione missae, de quibus decore et abundanter est provisum. [A margine: Oratorio Verità] Oratorium privatum in aedibus nobilis domini comitis Hieronymi de Veritate, doctoris de collegio. Extat in aedicula stuchi elaborata; altare habet portatile ad mensuram canonicam et imaginem pictam sancti Caietani ac beatae Mariae Virginis, bene provisum et tentum. Auctoritate apostolica fuit extructum, ut patet ex brevi diei 6 iulii 1741, a tergo inscripto: *Nobili domino comiti Hieronymo Verità et nobili dominae comitissae Theresiae eius uxori.* Vedit sacras suppellectiles pro sacro faciendo, de quibus optime est provisum. Illustrissimus et reverendissimus praesul, prosequendo visitationem huius parochialis, visitavit: olea sancta, in loculo ad altare maius a cornu evangelii sub clavi servata; extant in tribus vasibus stamneis; duo alia tamen sunt vasa argentea pro sacro fonte et duo etiam, alterum stamneum et alterum argenteum, pro oleo infirmorum. Olea statuto tempore percipiuntur [7^v] a cathedrali. Fontem baptismalem marmoreum, in calce ecclesiae a latere evangelii in parva capella erectum, sub clavi et rastris ligneis bene tentum et custoditum. Quatuor vedit confessionalia pro poenitentium sacramentalibus confessionibus excipiendis. Visitavit altare maius, divo Donato episcopo et martyri sacrum, ligneum cum portatili et mensa marmorea, a reverendo paroco manutentum. Societas tamen sanctissimi Sacramenti – ut ante dixi – singulis annis praestat sex libras cerae. Altare sancti Genesii martyris, ligneum cum portatili et mensa marmorea, ut ante manutentum. Ibi vedit sacram reliquiam sancti Donati, in theca ex auricalco, cum patentibus huius curiae episcopalis diei 2 ianuarii 1742. Altare sancti Caroli, a cornu epistolae altaris maioris, ligneum cum portatili et mensa marmorea, a reverendo paroco ut supra manutentum. Extat custodia portatilis lignea, quae inservit pro servando sanctissimo Sacramento [8] in hebdomada maiori, ubi etiam custodiuntur sacrae reliquiae, scilicet: de ligno sanctissimae crucis Domini nostri Iesu Christi, in theca crucea crystallina in ostensorio inclusa, sigillo illustrissimi et reverendissimi domini domini Marci Gradonico olim episcopi veronensis obsignato, quo stante sigillo, licet de huiusmodi sacra reliquia documentum non fuerit praestitum, illam approbavit; sacrae reliquiae sanctae Annae et sancti Ioannis Nepomuceni, in theca argentea repositae, obsignatae et patenti huius curiae diei 26 martii 1740 munitae ac sacra reliquia sancti Caroli, intus thecam argenteam sigillatam et iisdem patentibus diei 31 octobris 1739 suffulta. Altare Annunciationis beatae Mariae Virginis, anno 1633 a nobili domina Elisabeth vidua quondam nobilis domini Sertorii Lizzarii, testamentariae eius vivi voluntati obtemperante, erectum fuit et dotatum, cum onere missae quotidianae, modo vero de iure patronatus nobilis domini Gasparis Brenzoni qui, pietate permotus, nuperime altare ipsum suis sumptibus ad elegantiorum formam traduxit et reverendum dominum Dominicum Armani antedictum in praefatae [8^v] officiaturaem quotidianaem cappellanum deputavit, hoc onum fideliter adimplentem. Altare est marmoreum cum portatili et icona, sufficienter provisum. Altare alias beatae Mariae Virginis, modo sancti Antonii patavini in mensa adhentibusque lateribus perystilos et gradibus infimis, marmoreum cum portatili et in reliquis cum icona tantum, de iure patronatus a primeva eius erectione nobilis familiae Gulientiorum. Hic celebrari debet una missa singulis totius anni diebus festivis, ex testamento quondam reverendi Hieronymi Montis, olim huius ecclesiae rectoris, cuius testamentariae voluntatis commissarius est rector seu archipraesbyter pro tempore existens, ex censu capitalis adsignati septingentorum argenteorum et cappellanus dictae officiaturaem eligitur, annuente tamen eius electioni paroco, a primogenito nobilis familiae Gulientiae; in praesentiarum est reverendus dominus Ioseph Levo antedictus, qui fideliter implet. Digni notatu sunt icones: divi Donati ad altare maius, opus Paschalis Ottini, praestantissimi pictoris veronensis; [9] Annunciationis beatae Mariae Virginis ad huius nominis altare, opus Claudi Rodolfi pictoris celeberrimi; beatae Mariae Virginis ad altare modo sancti Antonni, opus Bernardini India, veronensis egregii pictoris. Vedit sugestum et organum nec non visitavit coemeterium ante ianuam maiorem existens, quod erat muris septum, sed ut nobilior daretur ecclesiae

ingessus demoliti sunt. Haec parochialis ecclesia olim erat sub nomenclatura Sanctorum Donati et Ambrosii de Columba, ad praesens vero eius titulus est Sancti Donati ad Columbam, in qua habet onus reverendus archipraesbyter celebrandi, vel celebrare faciendi, ex nonnullis legatis fideliter adimpletis, missas 402 singulis annis. Utrum consecrata sit haec ecclesia adhuc dubitatum est; nihilominus verisimile esse consecratam olim fuisse deducitur ex tribus rubeis crucibus, anno 1726 detectis dum paries lateralis ecclesiae a cornu epistolae pro instaurazione perrumperetur; quas ut inspiciat illustrissimum et reverendissimum praesulem deprecatus est et, quatenus **[9^v**] sibi videatur, privilegio celebrandi eidem placita die consecrationis officium et missam ecclesiam hanc in posterum decorari dignet archipraesbyter supplicavit et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, inspectis diligenter praedictis crucibus, super instantia antedicti archipraesbyteri dicere et statuere quidquid et cetera sibi resservavit et ita et cetera, omni et cetera. Visitavit duas sacristias, alteri alteram adnexam, prope altare maius a latere evangelii et sacras suppellectiles ac vasa sacra iuxta inventarium traditum et bene esse provisum et tentum. Vedit campanile, cum duabus campanis maioribus et alia parva et domum parochiale cum parvo viridario. Quibus absolutis, nocte iam adveniente et factis infrascriptis ordinationibus, ad suum episcopale palatum prandium sumpturus reversus est. Ordinata. Conficiatur liber in sacristia asservandus, in quo sacerdotes omnes in hac ecclesia celebrantes se toties quoties propria manu cum nomine et cognomine **[10]** describant, declarantes pro quo onere adimplendo huic ecclesiae adnexo celebraverint – super ostiolo oleorum sanctorum pingatur vel incidatur inscriptio Olea Sancta – tectum cappellae fontis baptismalis per quos spectat restauretur ne fluat aqua – coemeterium tuto modo claudatur, ne additus pateat animalibus et erigatur crux saltem ferrea ad illud dignoscendum – altare maius provideatur de novo portatili ad mensuram canonicam – item de novo portatili provideatur altare sancti Caroli et reducatur proprius ad pectus celebrantis – de eodem portatili provideatur altare Annuntiationis beatae Mariae Virginis, quod etiam superiori umbella cooperiatur – altare alias beatae Mariae Virginis, modo sancti Antonii, provideatur de paramentis festivis ad eius ornatum et simili umbella superiori tegatur et patroni inceptum opus ex marmore perficiant construendo reliquam partem altaris **[10^v**] supra mensam, ut deformitas tolatur – in sacristia describantur in tabella, quae ibidem semper collocata remaneat, onera missarum quae celebranda sunt in hac ecclesia parochiali.

[A margine: LA MISERICORDIA] Die 18 ianuarii 1742. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum reverendissimo praefato suee visitationis vicario Petro Antonio Albertini suaque familia, se contulit ad ecclesiam et hospitale Sanctae Domus Misericordiae, infra limites parochialis ecclesiae Sancti Donati ad Columbam iacentem. Eo perventus, a toto fere gubernio eiusdem Sanctae Domus, quod constat presidente et priore, nobilibus viris aliisque sex viris item nobilibus ac sex mercatoribus sub nomine sessionis, honorifice exceptus fuit ad ianuam eiusdem ecclesiae, in cuius limine accepto aspersorio a reverendo domino Ioanne Baptista Guzzoni cappellano hospitalis, aqua benedicta populum aspersit illamque, musicis instrumentis modulantibus, ingressus est. Ante altare maius genuflexus, Sacramentum adoravit. **[11]** In throno a cornu evangelii parato albis paramentis fuit indutus et, praemissis adpratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, in pixide argentea intus inaurata et tabernaculo marmoreo ad altare maius sub clavi argentea bene servatum et custoditum. Ex factis perquisitionibus, habuit temporibus debitis renovari et ad infirmos hospitalis cum luminibus decenter deferri; lampas die noctuque accensa manutenetur a gubernio huius Sanctae Domus. Delato sanctissimo Sacramentum ad hospitale, prius marium et subinde foeminarum, copiosis intortitiis associantibus, propria manu pius praesul communicavit mares decem octo et mulieres decem novem circiter, quibus etiam paterna caritate eleaemosinam singulariter singulis erogare fecit. Ad ecclesiam reversus ac Sacramento reposito in tabernaculo, sacrosanctum missae sacrificium peregit eoque **[11^v**] absoluto, eucharistico Pane pueros alumnos eiusdem Sanctae Domus et aliquot christifideles huc accessos refecit. Thronum subinde ascendit et, violaceis paramentis indutus, exequias pro defunctis qui in hospitali occubuerunt absolvit. Propterea aliquibus utriusque sexus christifidelibus sacramentum Confirmationis in eadem ecclesia ministravit nec non in hospitalibus et mulieribus et uni puero et aegrotis nondum confirmatis puerosque alumnos huius pii loci quomodo doctrinam cristianam doceri et an illam calleant per examen expertus est et bene instructos reperiit. Porro visitavit oleum infirmorum, ad altare maius a latere evangelii in loculo ad hoc parato, in vasculo argenteo servatum et sub clavi custoditum. Altare maius, ex marmoribus in mensa et gradibus inferioribus et superioribus constructum, in reliquis ex ligno auro linito, cum portatili et tabernaculo marmoreo, ubi pro infirmis hospitalium Sacramentum **[12]** servatur. Adest praeciosus icon celeberrimi pictoris vulgo Orbeti, qui rappresentat Christum salvatorem e Cruce depositum et eius Matrem maerentem cum Nicodemo; habetur quoque specula super gradibus mensae altaris, correspondens altari hospitalis virorum. Ad hoc altare nullum fixum est legatum missarum; celebrat tamen quotidie reverendus dominus Ioannes Baptista Guzzoni,

sacerdos veronensis aetatis annorum 31, cappellanus hospitalis, cum facultate audiendi sacramentales confessiones, ut ex mandato episcopali die 28 octobris 1741 ad annum confirmato pro cura Sancti Donati, qui in aedibus deputatis eiusdem Sanctae Domus ressedit, cum stipendio a gubernio tradito. Item celebrant reverendus dominus Bartholomaeus Coleta, sacerdos aetatis annorum 60 diebus festivis et reverendus dominus Ioannes Petrus Manfredi, sacerdos de Sancta Maria ad Fratam aetatis annorum 27 singulis sextis feriis cuiuslibet hebdomadae, stipe tradita a praefato gubernio pro adimplendis legatorum **[12^v]** oneribus. Altare Assumptionis beatae Mariae Virginis, ex gypso et marmore compactum, cum icona et portatili, bene tentum et a sessione huius pii loci, prout tota ecclesia, provisum et manutentum. Ibi in custodia lignea servantur sacrae reliquiae, scilicet: de ligno sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi, de velo beatae Mariae Virginis, de veste sancti Ioseph, de ossibus sanctae Annae, sancti Joachim, sancti Zaccariae, sanctae Helisabeth, sancti Ioannis Baptiste, sancti Viti martyris et sancti Crescentii martyris, in theca ovali argentea repositis, intus reliquiarum argenteum inclusa, patentibus quidem huius curiae diei 2 martii 1737 munitae, sed cum inspici non potuerit sigillum quo in filo rubro pendente theca obsignata est, iussit illustrissimus et reverendissimus praesul deferri ad curiam episcopalem ut recognoscatur. Vedit sacristiam, in fine ecclesiae contra altare maius recenter extrectam et visitavit sacras suppelleciles ac vasa sacra, in armariis nuceis servatas ac bene tentam atque bene provisam, sumptibus dicti pii loci invenit. **[13]** Adivit hospitalia unita et aggregata archihospitali Sancti Iacobi de Augusta, ut liquet ex bulla 13 aprilis 1520 data Romae, cuius copia extat hic in fine sub littera [manca] et primo loco illud virorum in quo extant 24 lecta pro totidem recipiendis aegrotis curandis insanabili morbo infectis et ibi visitavit: altare ligneum, ex nuce confectum, altari maiori ecclesiae altera ex parte adherens, cum portatili, in quo celebratur diebus festivis. Hospitale mulierum totidem constat lectis pro recipiendis et curandis eodem morbo laborantibus, ubi pariter visitavit: altare item nuceum cum portatili et icona celebri laudatissimi pictoris Rodolfi, in quo similiter celebratur festivis diebus. In hac pia Domo alumni sunt et pia caritate aluntur duodecim iuvenes egeni pupilli ceruleam vestem gestantes, quorum magister modo est dominus Faelix Composta, ibi inhabitans. **[13^v]** Omnia recte reguntur et gubernantur ab eiusdem piae Domus gubernio seu sessione, cuius ad praesens nomina sunt, videlicet: nobilis dominus comes Ioannes Franciscus Carminati, praessident; nobilis dominus Alexander Brugnoligo, prior, ibi inhabitans, nobilis dominus Hieronymus Portaluppi; nobilis dominus marchio Marcus Santonius Pindemonti; nobilis dominus comes Teobaldus Lavagnoli; nobilis dominus Franciscus Sparaverius, doctor collegiatus; nobilis dominus Fabius Nichesola; nobilis dominus Ioannes Parma Lavezola * dominus Iacobus Perotti, dominus Blasius Fusari, dominus Iulius Signorini, dominus Caietanus Corni, dominus Ioannes Rossetti, dominus Andreas Olivetti* mercatores: omnes gubernatores; qui fere omnes adstantes reverentes gratias egerunt **[14]** suaे illustrissimae et reverendissimae dominationi. Quibus absolutis, ad ecclesiam propinquam se contulit, factis infrascriptis ordinationibus. Ordinata. Loculus olei infirmorum vestiatur intus panno violacei coloris – construatur liber in sacristia servandus, in quo sacerdotes in hac ecclesia celebrantes propria manu ac nomine et cognomine se describant, adnotantes obligationem huic ecclesiae seu hospitali adnexam pro qua satisfecerit – portatilia altaris hospitalis virorum et hospitalis mulierum provideantur de novo ad mensuram canonica – reliquiae in custodia altaris Assumptionis non exponantur nisi prius earum sigillum non sit recognitum [a margine: die 3 februarii 1742 dictum sigillum recognitum fuit]. A pia Domo Misericordiae illustrissimus et reverendissimus praesul transiit ad ecclesiam Sanctae Agnetis, illam visitaturus. Praesto fuit admodum reverendus **[14^v]** dominus Ioannes Tretius, archipresbyter Sancti Donati ad Columbam, cum aliquibus e suo clero dominationem suam illustrissimam obsequenter excipiens, cui ingressu ecclesiae aspersorium obtulit.

[A margine: SANT'AGNESE] Tribus haec ecclesia componitur altaribus et vetustis temporibus erat parochialis, sed fuit deinde parochiali ecclesiae Sancti Donati ad Columbam adnexa et unita, a qua in spiritualibus dependet. Visitavit altare maius, sanctae Agneti virginis et martyri dicatum, cum mensa marmorea consecrata, in reliquis ligneum, prout et icon in choro existens. Manutenetur ex piorum eleemosinis a societate Caecorum collectis; nullum assertum fuit haberi onus missarum; celebrat tamen quotidie, feria quinta cuiuslibet hebdomadae excepta, reverendus dominus Ioannes Dominicus Longo, sacerdos de Sancto Firmino ad Pontem aetatis annorum 52, qui ibidem praesens fuit, stipendio tradito ab ipsa societate ex piorum eleemosinis quas eadem societas colligit et administrat. Ad dictum altare vedit custodiam ligneam, de qua **[15]** factis interrogationibus, idem Cappellanus respondit eius usum esse diebus solemnioribus festivis huius ecclesiae pro asservando Sacramento populo distribuendo et etiam exponendo ab archipresbytero Sancti Donati ad Columbam vel, eo impedito, ab alio sacerdote de eiusdem licentia. Altare sanctae Luciae virginis et martyris, ex ligno ad instar marmoris depicto constructum, cum portatili et icona, qui est opus non vulgare S. Creara; manutenetur ut ante et est bene provisum. Hic servatur in custodia

ligneum ammovibili sacra reliquia ex ossibus sanctae Luciae virginis et martyris, in reliquiaria theca reposita cum instrumento curiae episcopalis diei 20 martii 1733. Sed, cum dubitatum sit de sigillo quo theca est munita, iussit deferri ad curiam episcopalem ut recognoscatur. Altare sanctissimi Crucifixi, item ligneum cum portatili et icona, ut ante manutentum et provisum. Vedit chororum retro altare maius et sacristiam adnexam a latere epistolae ac sacras suppellectiles pro sacris **[15^v]** functionibus peragendis et sufficienter provisam invenit. Vedit totam ecclesiam, cuius materiale manutenetur ab hospitali Sanctorum Iacobi et Lazari de Tumba. In ipsa ecclesia docentur pauperes diebus festivis doctrinam christianam, quam visitandam illustrissimus praesul distulit et sibi resservavit. De reverendo Bernardo Pantini bergomensi, qui absens fuit in visitatione Sancti Donati et hodie per comilitonem curiae episcopalis citatus comparere hic debebat, ab ipso comilitone relatum fuit aegrotare et se paratum praebuisse comparere coram sua illustrissima dominatione cum convaluerit. Ordinata. Altaria: maius, sanctae Luciae virginis et martyris ac sanctissimi Crucifixi muniantur umbellis illa integre tegentibus – in icona sanctissimi Crucifixi modeste pictura cooperiatur mulier nuda animam purgantem representans – nemo parva pixide visa et ostensa utatur, quam propterea **[16]** ut indecentem suspendit - fiat inventarium suppellectilium et bonorum sacristiae ac altarium et in actis visitationis producatur – reliqua sanctae Luciae, ultra non exponatur, nisi prius recognoscatur a curia. [a margine: die 17 februarii 1742 praesentatum fuit et etiam sacra reliquia sanctae Luciae, cuius sigillum est reverendissimi Sanctilia tunc vicarii generalis]. Quibus absolutis, ad parochialem ecclesiam Sancti Donati ad Columbam se contulit, ut huius parochialis visitationem clauderet. Reverenter ab archipraesbytero cum suo clero receptus fuit eique in ingressu ecclesie aspersorium porexit. Item archipraesbyter obsequentissime iterum deprecatus est ut sua illustrissima dominatio, quatenus sibi videatur, consecrationis huius ecclesiae diem dignetur dessignare, cum ex indicatis crucibus liqueat fuisse olim consecratam et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, huiusmodi supplicationibus admodum reverendi archipraesbyteri mature consideratis, cum ex depictis crucibus in hac ecclesia Sancti Donati servatis et diligenter inspectis, satis compertum habeat alias ecclesiam ipsam consecratam fuisse, eiusdem consecrationis diem **[16^v]** die dominico tertia octobris collendam et de more celebrandam statuit et decrevit ad laudem Dei omnipotentis et ita et cetera, omni et cetera. Porro cum De Profundis suam clausit visitationem et ad suum episcopale palatum prandium sumpturus se restituit.

[A margine: SANTA MARIA ALLA FRATA] Die dominico 21 mensis Ianuarii 1742. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, praemissis aedictis ac missionariis – ut supra de parochiali Sancti Donati ad Columbam dictum fuit – secum sumptis reverendissimo suo visitationis vicario Petro Antonio Albertino, me procancellario aliisque eius familiae, hac suae pastoralis visitationis statuta die, caelo licet pluente, suis quadrigis vectus ad parochialem ecclesiam Sanctae Mariae ad Fratam iter capescit. Ad ianuam maiorem habuit admodum reverendum dominum Michaelem Caravana, archipraesbyterum huius ecclesiae, cum suo clero nec non nobilem dominum [manca] Padovani, contratae deputatum aliosque nobiles viros eorum devenerationem praebentes et, sub baldachino receptus a quatuor archipraesbyteris sanctae Congregationis gestato, qui fuere archipraesbyteri **[17]** Sancti Zenonis in Oratorio, Sancti Ioannis in Fonte, Sancti Firmi de Curte Alta et Sancti Benedicti, inter armoniacos instrumentorum concentus, deosculata prius cruce ab archipraesbytero huius parochialis oblata, qui et aspersorium et thurificationis honorem praestitit, ecclesiam solemniter ingressus est. Decantatis consuetis decantandis suaque populo ex altari benedictione et indulgentia impartita, ad thronum a latere evangelii sibi paratum venit ibique, assistantibus in dalmaticis archipraesbyteris Omnia Sanctorum et Sancti Donati ad Columbam, pontificalibus violacei coloris induitus fuit et pro defunctis exequias persolvit. In paramentis subinde albi coloris, praemissis adoratione, hymno et thurificatione, visitavit sanctissimum Sacramentum, ad altare maius in tabernaculo marmoreo et pixide argentea intus inaurata decenter servatum et sub ostiolo anteriori in parte argenteaque clavi tute custoditum. Quae clavis semper ac diligenter custodiatur ab archipraesbytero, cuius muneris est et ipse erit Deo redditurus rationem. **[17^v]** Ex factis perquisitionibus, cognovit debitum temporibus renovari Sacramentum; ad infirmos, datis prius signis, decenter associari et associantibus concessas publicari indulgentias; in dominica infra octavam Corporis Christi fieri expositionem Sacramenti sumptibus societatis eiusdem nominis nec non singulis sabbatis Quadragesimae ab ipsa societate, ex legato quondam Seriati, cuius testamentariae voluntatis commissaria existit sacra congregatio Cleri intrinseci Veronae. Lampadem semper accensam ante Sacramentum manutenet archipraesbyter. Animae sub hac paroecia sacram Eucharistiam summentes sunt 666 et quae hoc Sacramento nondum se reficiunt 273, in totum scilicet 939. Vedit ostensorium argenteum et thronus ex veluto et argento compactum, quae ut et pixis argentea a societate sanctissimi Sacramenti fuerunt comparata. Aliam pixidem vidit, in cupa argenteam, de ratione ecclesiae; eodem Sacramento quamplures utriusque sexus christifideles **[18]** ipse praesul refecit; ipsis assistantibus

archipraesbyteris sacrosanctum missae sacrificium absolvit et iterum aliquot angelico Pane cibavit. Tandem nonnullis Confirmationis sacramentum ministravit et in aedes superiores parochiales se recepit, ubi cum praelibato suae visitationis vicario pro tribunali sedit. Coram quibus vocatus comparuit admodum reverendus dominus Michael Angelus Caravana aetatis suae annorum 56, archipraesbyter huius ecclesiae, qui praebuit bullas apostolicas IV nonas iulii anni 1718 et mandatum executivum episcopale diei 31 iulii eiusdem et tres libros parochiales, matrimoniorum scilicet, mortuorum et baptizatorum, qui recens est, cum nuper – die nempe 8 mensis aprilis 1741 – illustrissimus et reverendissimus praesul fontem baptismalem in hac ecclesia suo decreto clementer indulserit nec non libros status animarum ac catasticum bene digestum, in quo legata, redditus et fundamenta describuntur, inscriptum ab extra Libro VI affituali con catastico – principia l'anno 1741. Praesentavit |18^v| quoque, parendo et cetera, relationem suae ecclesiae et inventaria requisita, in fine huius sub littera B deposita. Interrogatus des suo clero et populo, de omnibus bona verba dedit et nihil de quo conqueratur dixit habere. Exposuit idem archipraesbyter in hac ecclesia altare seu capellam extare sanctorum Rocchi et Sebastiani, de iure patronatus nobilis domini comitis Ioannis de Veritate, cui annexum est onus missarum proportionatum redditui ducatorum 45, quas celebrat modo reverendus dominus Laurentius Borlati, qui in titulum pro parte sui patrimonii hanc officiaturam possidet et eidem celebranti archipraesbytero supeditare paramenta, cereos et cetera, pro quibus neque a cappellano neque a patronis nihis sacristiae erogari, supplex igitur idem archipraesbyter instetit quod aliquid pro sacristia sibi erogetur ab iis per quos spectat et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, stante absentia reverendi capellani antedicti, qui modo infirmus Mantuae degit, differendum censuit usque ad eiusdem adventum, ut et ipse cappellanus comparere possit et tunc exhibeantur |19| fundamenta huius officiaturae, resservando sibi decernere quidquid et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Reverenter insuper exposuit inter redditus suae ecclesiae unum existere trium librarum veronensem, cum onere celebrandi tria anniversaria nec non alium esse quinque bacatarum olei, cum onere unius anniversarii. Cum vero haec onera pro reddituum exiguitate adimpleri non possint neque cognoscatur quo die adimplenda sint, humiliter suam illustrissimam et reverendissimam dominationem supplicavit ut dignetur pro arbitrio suo onera ipsa reducere et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus super hac instantia decrevit quod archipraesbyter de expositis doceat, resservando sibi statuere quidquid et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Comparuit nobilis dominus comes Antonius Maria Peres et reverenter exposuit altare passionis Domini nostri Iesu Christi in hac ecclesia erectum subiectum esse – ut audivit – iuri patronatus suae familiae ac de eiusdem ratione esse supulcrum eidem altari proximum, qua propter supplex instetit |19^v| ne quidquam inovetur in hac visitatione donec ipse cognoscat fundamenta eiusdem sui iurispatronatus, ad effectum fundamenta ipsa dominationi suae illustrissimae exhibendi, a qua decerni possit cui spectet idem iuspatronatus et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, suprascripta instantia intellecta, decrevit, etiam consentiente ipso nobili Peres, spatio mensis sibi exhibenda esse fundamenta huiusmodi praetensi iurispatronatus, aliter et cetera, resservando sibi decernere quidquid et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Sumptis vero a fide dignis informationibus de vita, moribus eiusque parochiali munere exercendo admodum reverendi archipraesbyteri, bona habuit verba et recte responsum fuit. Subinde comparuerunt: reverendus dominus Alexius Avanzetti, sacerdos curatus huius ecclesiae annorum 41, cum mandato pro sacramentalibus confessionibus excipiendis die 11 novembris 1741, ad annum confirmato. Reverendus dominus Stephanus Bettelloni, sacerdos annorum 48, alias curatus sed modo ob infirmam valetudinem |20| nec confessarius quidem; est cappellanus officiaturae manualis quotidiana Cereati in hac ecclesia celebranda, ad quam ius eligendi est sacrae congregationis Cleri intrinseci huius civitatis; stipendum vero suppediat societas sanctissimi Sacramenti ad summam ducatorum 90. Reverendus dominus Ioseph Brusco, sacerdos aetatis annorum 33, confessarius cum mandato episcopali die 20 februarii 1741, ad annum confirmato. Reverendus dominus Bonaventura Vivaldi, aetatis annorum 53 sacerdos, cappellanus officiaturae manualis ad altare sancti Pantaleonis diebus festivis adimplendae, a contrata electus, qui percipit eiusdem officiaturae redditus rationemque redit deputatis eiusdem contratae. Reverendus dominus Omnibonus Ercole, sacerdos aetatis annorum 30, cappellanus ad altare sancti Ioannis Baptiste officiaturae manualis ducatorum 16 et iuxta vires redditus celebrat, deductis tamen libris 7.14, sacristiae erogatis. Haec officiatura, ad quam fuit electus ab illis de Bellinis et de Clodis, eidem inservit pro parte patrimonii, ut in instrumento |20^v| 20 martii 1733 in actis domini Joseph Bovio notarii. Reverendus dominus Franciscus Righensi, sacerdos annorum 54. Reverendus dominus Caietanus Leoni, sacerdos annorum 28. Reverendus dominus Thomas Amigazzi, sacerdos annorum 33, confessarius cum mandato die 29 martii 1741, ad annum confirmato. Reverendus dominus Iacobus Fracassini, sacerdos annorum 56. Reverendus dominus Franciscus Angeli, sacerdos annorum 44, cum mandato pro sacramentalibus

confessionibus excipiendi, confirmato ad annum die 29 ianuarii 1742. Reverendus dominus Franciscus Prina, sacerdos annorum 30. Reverendus dominus Ioannes Maria Steffanelli, sacerdos annorum 38. Reverendus dominus Sperandeus Voltolini, sacerdos annorum 25. Reverendus dominus Dominicus Zecchini, sacerdos annorum 29. Reverendus dominus Franciscus Marrosi, sacerdos annorum 37, confessarius cum mandato ad annum confirmato die 3 octobris 1741. Reverendus dominus Alexander Sacco, sacerdos annorum 40, confessarius cum mandato die 24 septembris 1741, ad annum confirmato. [21] Reverendus dominus Antonius Conti: abest excusatus. Reverendus dominus Iacobus Antonius Campedeli, sacerdos aetatis annorum 40 circiter. Reverendus dominus Ioseph Topelli, sacerdos annorum 42. Reverendus dominus Liberalis Cunego, sacerdos annorum 24: vocatus, non comparuit neque fuit excusatus; ideo sua illustrissima et reverendissima dominatio mandavit quod per suum comilitonem citetur ad comparendum coram se die 27 currentis mensis. Reverendus dominus Petrus Manfredi, sacerdos annorum 26. Reverendus dominus Natalis Viola, sacerdos annorum 26. Reverendus dominus Carolus Morati, sacerdos annorum 53: abfuit excusatus. Reverendus dominus Octavius Caprara, sacerdos annorum 41: absens sine excusatione; ideo illustrissimus et reverendissimus praesul iussit per comilitonem suum citari pro die 27 currentis mensis ad coram se comparendum. Reverendus dominus Ioannes Petrus Caravena, sacerdos annorum 24. Venerabilis clericus Felix Vaninetti, diaconus annorum 22. [21^v] Venerabilis clericus Caietanus Bernardi, subdiaconus annorum 22. Venerabilis clericus Hieronymus Cicognia, diaconus annorum 22. Venerabilis clericus Ioannes Voltolini, diaconus annorum 22. Clericus in tonsura Ioannes Gambarini, annorum 18. Hieronymus dalla Verde, in habitu clericali annorum 18 circiter. Ioannes Baptista Benvenuti, in habitu clericali et accolitus cathedralis, annorum 16 circiter. Qui omnes suorum respective ordinum et confessionum mandata reverenter ostenderunt. Comparuit pariter Iulia vidua quondam Antonii Turrini, aetatis suae annorum 66, obstatrix, quam per examen bene instructam invenit, praecipue in conferendo sacramento baptismatis, sic necessitatis casu exigente. Iacoba Stefanelli, quia in eius obstetricis munere peragendo impedita, excusata fuit illamque bene instructam admodum reverendus archipraesbyter testatus est. [22] His absolutis, cum iam per consueta signa populus ad doctrinae christiana opus convocatus fuerit, in ecclesiam descendit. Facta adoratione Sacramenti, singulas classes puellarum, quae in hac ecclesia de doctrina christiana docentur ac illuc dispositas, invisit et per varias interrogations factas earum peritiam expertus est, praemia ad hoc ab eadem doctrina parata recte respondentibus elargiendo et, animi sui gaudio, bene edoctas invenit itemque, ex factis perquisitionibus, iuxta regulas gubernari reperit cognovitque extare visitatricem nobilem dominam comitissam Iuniperam Medici Verza, priorissam Claramstellam Padovi aliaque officia ac distinctas classes communionem frequentari et ab admodum reverendo archipraesbytero huius ecclesiae vel, eo impedito eodemque iubente, ab eius reverendo curato, consuetis temporibus doctrinam tradi, scilicet fieri, vulgo la quarta classe ac tandem hoc sanctum opus laudabiliter frequentari, quam frequentiam plurimum in Domino [22^v] illustrissimus et reverendissimus praesul comendavit, ad maiorem Dei gloriam animarumque salutem, dum interim solitis cum laudibus et orationibus persolveretur doctrina christiana. [A margine: La Disciplina] Visitavit oratorium sub nuncupatione Sanctae Mariae de Domo, vulgo la Disciplina et eidem illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo ingredienti reverendus archipraesbyter Sanctae Mariae ad Fratam cum aliquibus sacerdotibus ex suo clero – intra limites cuius parochialis ecclesiae idem publicum oratorium situm est – accurrit cum aspersorio ipsique porrexit. Aderant reverendi domini Petrus Loccatelli primarius cappellaus, Franciscus Righensi, Antonius Bighignato et Alexander Sacco secundarii cappellani eiusdem oratorii nec non nobilis dominus Hieronymus Portaluppi et nobilis dominus comes Rambaldus Rambaldi protectores collegii disciplinorum, una cum domino Francisco Carlina priore et domino Francisco Mantoanel vice priore aliisque confratribus, a quibus omnibus reverenter exceptus fuit. Ingressus oratorium, quod tria habet altaria, visitavit [23] altare maius, bene tentum, sanctae Mariae dicatum, marmoreum cum portatile et specula cratibus ferreis munita, per quam prospicitur in chorum. A confratribus manutenetur, qui etiam lampadem accensam tenere debent, iuxta vires legati, trium bacetarum olei, quod assurerunt relictum eidem altari. In die festo Nativitatis beatae Mariae Virginis hoc oratorium visitantibus concessa fuit indulgentia plenaria, ut ex brevi apostolico ad septennium dato die 6 augusti 1736. Nullum beneficium extat annexum eidem altari, sed reverendus dominus Petrus Loccatelli et reverendus dominus Franciscus Righensis singuli missam quotidianam celebrant passim in eodem altari; nam aliquando ex confratrum voluntate celebrant in alio oratorio Sanctae Annae seu Sancti Bubonis, quae missae quotidianae ex plurimis missarum oneribus dependent. Praeterea reverendus dominus Antonius Bighignato missam diebus festivis celebrat nec non, ex legato quondam Iacobi Coradini, reverendus dominus Alexander Sacco aliam singulis hebdomadibus. [23^v] Visitavit altare sanctissimi Crucifixi, marmoreum cum portatili et imagine Christi ex ligno sculpta, bene tentum, quod ab eodem collegio de omnibus providetur. Hoc altare est privilegiatum pro

confratribus defunctis in die commemoratione et octava omnium defunctorum et singulis sextis fériis, ut constat ex brevi apostolico ad septennium, die 23 martii 1739 concesso. Item altare transitus sancti Ioseph, marmoreum cum portatili, bene tentum et ut supra provisum. Vedit confessionale, bene tentum et interrogavit confratres quo iure illud expositum est in hoc oratorio, cui respondit, nomine confratrum dominus Franciscus Carlina prior exponi tantum in solemnitate Nativitatis beatae Mariae Virginis in hoc oratorio et in festo sanctae Annae in alio oratorio in quod, ex redditibus hopitalis, transfertur confessionale ipsum, ad hoc ut reverendus parochus si velit excipiet confessiones vel, ipso impedito, de eiusdem licentia eorum cappellanus idem Sacramentum administret. [24] Visitavit chorum retro altare maius schamnis circumornatum, in quo extat altare cum portatili nuncupatum Altare delle Relique, cum ibi serventur plurimae reliquiae in reliquiario ligneo antiquo, clauso sub cratibus ferreis inauratis et crystallis ante crates, quarum catalogus legitur in libro antiquo sub anno 1392, a confratribus exhibito ad paginam 9 tergo cum sequentibus, quae tamen, cum non satis constet de earum autenticitate, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit ut maneant in privata veneratione. Extat etiam sacra reliquia sanctae Annae, quae a curia episcopali recognita fuit die 24 ianuarii 1733. In choro visitavit suppellectiles sacristiae ibi expositas, quae manutenerunt a collegio, quasque decentes et ornatas cognovit; inter eas vidit ostensorium et pixidem, quibus utitur parochus vel, eo deficiente, de eiusem assensu cappellanus collegii in supradictis solemnitatibus ac praeterea singulis secundis fériis Quadragesimae, quoad expositionem Sacramenti. Confratres exhibuerunt eorum privilegia et libros locationum [24] et instrumentorum, qui diligenter ab iis custodiuntur. Ostenderunt etiam eorum capas sub nigri coloris, quas religiose factas cognovit. Conveniunt confratres singulis diebus festis et in hoc choro officium beatae Mariae Virginis persolvunt ac statis diebus communione reficiuntur. Ex choro ingressus sacristiam, quam visitavit ibique vidit tabellam expositam onerum collegio addictorum et armaria, bene tenta et de omnibus bene ordinatam. [A margine: Sant'Anna e San Bovo] Accessit deinde ad aliud pubblicum oratorium intra fines eiusdem parochiae Sanctae Annae sive Sancti Bubonis nuncupatum et, aspersorio sibi porrecto ab eodem archipraesbytero, stipatus a praefato clero et collegio, ingressus est idem oratorium, quod postremis hisce temporibus in meliorem formam redactum est, sumptibus eiusdem collegii. Visitavit altare maius, sanctae Annae nuncupatum, elegantissime ex marmoribus et statuis elaboratum cum portatili, in quo extat tabernaculum marmoreum [25] pro communione et expositione ut supra a parocco vel, eo impedito, a cappellano de eius assensu faciendis. Nullum extat fixum huic altari onus missarum, sed celebratur a cappellanis, ut superius declaratum est. Huic oratorium adnexa est indulgentia plenaria concessa visitantibus die festo sanctae Annae, ut ex brevi apostolico die 25 iunii 1737 ad septennium dato. Visitavit altare olim sancti Gothardi, nunc sub titulo Christi Redemptoris nostri, cum portatili et icona ab egregio pictore depicto, quod nondum perfectum est. Item altare sancti Bubonis cum portatili, quod pariter nondum absolutum est. Egressus ab oratorio, visitavit sacristiam contiguam, ubi extant armaria, sine tamen paramentis; nam in functionibus sacris quae peraguntur in hoc oratorio utuntur sacerdotes paramentis illis quae in alio oratorio exposita fuere. Visitavit hospitalia, ubi peregrini excipiuntur, cum mandato officii sanitatis et interrogavit an mulieres [25] hospitantes a viris separantur, cui responderunt confratres separatas illas manere. Haec hospitalia manutenerunt ab eodem collegio, ibique. Decretum. Com admodum reverendus archipraesbyter conquestus esset quod cappellanus cum stola benediceret boves, quod est sui iuris parochialis, quoad oblationes vero, quae occasione dictae benedictionis percipiuntur, se remittens iuditio suae illustrissimae et reverendissimae dominationis, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit ut haec benedictio fiat ab eodem archipresbytero vel, eo deficiente, a reverendo cappellano Collegii; oblationes vero, cum sint ex intentione offerentium applicandae, decrevit ut altari sancti Bubonis in eodem oratorio sito applicentur et ita et cetera omni et cetera. Actisque gratiis a praefatis nobilibus protectoribus et a dominis confratribus ad parochiale ecclesiam Sanctae Mariae ad Fratam se restituit et, suam visitationem prossequendo, visitavit olea sancta, ad altare maius a cornu evangelii in loculo sub clavi custodita et in vasis argenteis [26] bene tenta, quae a cathedrali tempore debito percipiuntur. Visitavit fontem baptismalem, nuper ex licentia et decreto episcopali diei 8 aprilis 1741 – ut dictum superius fuit – in hac parochiali erectum, situm tamen in loco parum apto, in medio scilicet parietis lateralis a latere epistolae altaris maioris, rastris ligneis septum et ubi clavi custoditum. Vedit confessionalia quatuor pro sacramentalibus confessionibus excipiendis, bene tenta sed pagella casuum ressistorum parentia. Visitavit altare maius, non multis ab hinc annis ex legato Cereati a societe sanctissimi Sacramenti in hac ecclesia erecta ex marmoribus collustratis eleganter aedificatum. Manutenetur a reverendo archipraesbytero, cui tamen dicta societas tribuit singulis annis ducatos sex pro lampade et die Paschatis cereos sex ponderis unius librae pro quoque et cereos duos librarum duarum pro quoque. Eadem societas habet onus celebrare [26] faciendi missam quotidiana, quam celebrat reverendus dominus Stephanus Betelloni – ut supra dictum est

ubi de eodem sermo fuit – nec non onus aliquot aliarum missarum, quod fideliter adimpleat. Altare est bene provisum, et bene tentum. Altare sancti Pantaleonis martyris ligneum, de ratione contratae, cum portatili. Ex redditibus eiusdem altaris celebratur missa singulis diebus festis, modo a reverendo domino Bonaventura Vivaldi a contrata electus, ut praenotatum fuit. Altare manutenetur a reverendo archipraesbytero, cui tamen pro manutentione et pro sacristia causa dictae officiaturaem contrata correspondet quilibet anno ducatos sex. Altare passionis Domini nostri Iesu Christi, ligneum cum portatili; fertur fuisse aedificatum a dominis de Cignognis patavinis; nullum tamen extat fundamentum et a reverendo archipraesbytero manutenetur. Super vero hoc altare nobilis dominus comes Antonius Maria Pores suam porrexit instantiam quam supra leges in eius comparatione, cui et cetera. |27| Altare sancti Andree, ligneum cum portatili, ubi etiam extat statua sancti Antonii patavini. Est de ratione nobilium dominorum comitum de Lavagnolis, quibus tamen renuentibus impendere pro manutentione altaris, illud manutenetur a reverendo archipraesbytero, qui asseruit iisdem nobilibus incumbere onus missae quotidiana, vel saltem missarum trium in qualibet hebdomada, cui oneri minime satisfaciunt et eidem archipraesbytero dictum fuit quod ipse suas adimpleat partes et quod doceat de huiusmodi obligatione, ut defectui provideri possit. Caeterum percipit tronus duodecim singulis annis, cum quibus die festo sancti Andree sex missas celebrare facit. Ad hoc altare extant assertae sacrae reliquiae sanctae Iucundae et sanctorum Bonifacii et Columbi, quas, cum deficiant documento in sua veneratione reliquit. Altare seu cappellam sanctorum Rochi et Sebastiani. Hoc altare est ligneum cum portatili, de iurepatronatus nobilis domini comitis Ioannis de Veritate, qui onus habet celebrare faciendi missas ad rationem redditus |27v| ducatorum 45 et modo celebrat reverendus dominus Laurentius Borlatti, sed, cum nihil erogetur sacristiae a qua neccessaria pro huiusmodi celebratione supeditantur, admodum reverendus archipraesbyter suam obtulit instantiam, ut supra in eius comparatione dictum fuit. Quo vero ad manutentionem altaris, quam usque adhuc reverendus archipraesbyter sustinuit, nihil dixit, cum praefatus nobilis dominus comes paratus sit illud opportune et decenter ornare, ut idem archipraesbyter asseruit. Altare beatae Mariae Virginis ex piorum eleaemosinis reaedificatum est marmoreum cum portatili nec non cum tabernaculo, item marmoreo, ubi custodiuntur sacrae reliquiae, scilicet: de ligno santissimae Crucis in theca ex auricalco, recognita in curia episcopali die 17 maii 1727; de filo beatae Mariae Virginis in theca argentea, sed nondum in curia episcopali fuit recognita, ad quam deferetur ut recognoscatur; de pluviali sancti Caietani, in reliquiario argenteo, sigillo illustrissimi et reverendissimi domini domini Francisci Trevisani |28| episcopi veronensis munito, cuius tamen documentum non fuit ostensum; de ossibus sancti Ioannis Nepomuceni in theca ex auricalco dealbato, cum patentibus huius curiae episcopalis diei 25 aprilis 1738. Ad hoc altare extat societas eiusdem beatae Mariae Virginis, quae pauperimis fruitur redditibus et ex testamento Guidotti tenetur singulis annis ducatos 24 designare tribus huius paroeciae virginibus nubilibus optimis moribus ornatis, ducatos 8 scilicet pro quaque, solvendos tempore earum matrimonii. Eiusdem societatis massarius Paulus Lorenzi praesentavit librum instrumentorum, in quo appareat decretum illustrissimi et reverendissimi domini domini Marci Gradonici episcopi veronensis 22 decembris 1723, de legato quondam Thomae Gielfi. Idem altare de cereis in solemnitatibus omnibus decore manutenetur a supradicta societate, in reliquis vero a reverendo archipraesbytero. Visitavit locum retro antedictum altare, in quo |28v| servantur sacrae suppellectiles, de ratione societatis sanctissimi Sacramenti, quas vidit bene tenta. Altare sancti Ioannis Baptistae, ligneum cum portatili, de ratione nobilis domini Constantii Chiodo ut haeredis Bellini, a quo renuitur manuteneri et usque adhuc suplevit reverendus archipraesbyter. Hoc altare habet redditus ducatorum 16, pro quibus iuxta vires celebrantur missae ab electo sacerdote a deputatis contratae et maiori natu familiae Chiodo, cuius officiatura modo cappellanus est reverendus dominus Omnibonus Ercole, qui ut supra celebrat, deductis tamen libris 7.14, quas solvit sacristiae. Altare sanctorum Gervasii et Protasii, ligneum cum portatili, de iure ecclesiae, ab archipraesbytero manutentum. Vedit chorum retro altare maius, ex piorum eleaemosinis decenter constructum. Duas vidit sacristias et sacras suppellectiles ac vasa sacra pro sacris functionibus peragendis et bene esse provisum ac tentum cognovit. Vedit sugestum et organa totamque ecclesiam, sub |29| titulo Sanctae Mariae ad Fratam, de cuius consecratione nullum extat documentum nullaque memoria; ex perantiquis vero documentis reverendus archipraesbyter retulit cognosci usque sub anno 1206 in curam animarum deputatam fuisse. Demum vidit domum parochiale et, factis infrascriptis ordinationibus et cum recitatione De Profundis sua pastorali clausa visitatione, ad suum episcopale palatum prandium sumpturus reversus est. Ordinata. Clavis tabernaculi in quo servatur Sacramentum diligenter custodiatur ab archipraesbytero, ut supra dictum fuit – capsula pro sumendis oleis sanctis a cathedrali fiat nova, cum sua sera et clavi – super ostiolo ipsorum oleorum pingantur vel incidentur charactere rotundo Olea Sancta – fons baptismalis a loco in quo extat removeatur et erigatur alio in loco comodiori et tutiori – in confessionalibus servetur exposita tabela casuum |29v| ressistorum – scannum societatis sanctissimi

Sacramenti nimis protensus strictiorem seu breviorem ad formam reducatur, ne liber usus confessionalis contigui impediatur – altare sancti Pantaleonis provideatur de cerata, qua portatile cooperiatur – parva specula in angulo altaris passionis Christi omnino obturetur et illius nullus sit usus – sacra reliquia de filo beatae Mariae Virginis non exponatur nisi prius in episcopali curia recognoscatur – altare sancti Andreae et altare sancti Ioannis Baptista, cum reverendus archipraesbyter conquestus sit de onere quod indebite sustinet in eorum manutentione, provideantur et manuteneantur ab iis qui respective eorumdem altarium iure patronatus potiuntur – ad altare sanctorum Gervasii et Protasii aptetur icon ipsos sanctos representans – in libro seu registro missarum in hac ecclesia celebratarum, in sacristia servato, se se celebrantes propria |30| manu describant, exprimentes obligationem, si qua tenentur, pro qua supleverint. Quibus habitis et cetera. Die 27 ianuarii 1742. Citati per comilitonem curiae episcopalnis in palatio episcopalni coram sua illustrissima et reverendissima dominatione comparuerunt. Reverendus Domius Liberalis Cunego, sacerdos de Sancta Maria ad Fratam, cappellanus cathedralis aetatis annorum 24 circiter, et ea quae decet reverentia, sua praesentavit mandata. Reverendus dominus Octavius Caprara, sacerdos de Sancta Maria ad Fratam aetatis suae annorum 41 circiter et ipse reverenter sua obtulit mandata, inter quae illud pro sacramentalibus confessionibus excipiendis die 14 novembris 1741, ad annum confirmatum pro cura Sanctissimae Trinitatis extra, quod retinuit ei interdicens ultra sacramentales confessiones audire et dimissi fuere. Die dominico 28 ianuarii 1744. Indicta pro hac die per consuetum aedictum pastorali |30v| [a margine: Sancti Apostoli] visitatione, ad parochiale ecclesiam plebem nuncupatam Sanctorum Apostolorum huius civitatis Veronae peractisque in ipsa – iuxta instructionem transmissam tam a reverendo archipraesbytero quam a patribus missionariis – sacris functionibus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, una cum praelibato reverendissimo domino Petro Antonio Albertini iure utriusque doctore, archipraesbytero Sanctorum Firmi et Rustici ad Pontem, visitationis vicario suaque familia, ad dictam plebem quadrigis vectus iter direxit. Eo apropians, bellicis tormentis salutatus fuit et in initio plateae ante ecclesiam iacenti, ubi portatalis magna ianua viam aperiebat ad ecclesiam usque pendili tela coopertam et ornamentis instructam, se se obtulerunt: nobilis dominus comes Leander Giusti deputatus contratae, nobilis dominus comes Caietanus Bevilqua aliique nobiles viri ac confratres doctrinae christianaee nec non nobilis et admodum reverendus dominus Antonius Ioannes de Vico, archipraesbyter eiusdem plebis cum suo clero, a quibus omnibus obsequenter acceptus fuit ibique genuflexus, deosculata cruce a praefato archipraesbytero oblata processionaliter cum solito cantico sub baldachino a |31| quatuor confratribus ex numero sacrae Congregationis gestato, scilicet admodum reverendis archipraesbyteris Sanctae Mariae ad Fratam, Sanctorum Faustini et Iovitae, Quintiani et rectore Sancti Petri in Archivolti, ecclesiam adivit quam, receptis prius in eius limine aspersorio et thurificationis honore a praedicto archipraesbytero praestitis, solemniter inter musicalium instrumentorum concentus ingressus est. Dum consueta decanterentur, ante altare maius genuflexus pias effudit preces; subinde, recitata oratione titularis ecclesiae, ex altari populo benedixit suamque episcopalem indulgentiam impartitus est. Porro ad thronum venit, sibi a latere evangelii paratum ubi, in dalmaticis assistentibus admodum reverendis archipraesbyteris Sancti Stephani ac Sancti Ioannis in Valle, pontificalibus violacei coloris indutus fuit et in ecclesia et coemeterio partim sepulturis constructo prope ecclesiam ante sacristiam et partim in aperto agro contra domum parochiale – quod reverendissimo dominus vicarius visitationis inspexit – pro defunctis exequias absolvit. Sumptis vero paramentis albi coloris, cum debitibus adoratione, hymno et thurificatione, |31v| visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo marmoreo et pixide argentea intus inaurata bene tentum et sub clavi argentea bene custoditum. Lampadem nocte dieque accensam manutenet archipraesbyter, qui interrogatus fassus est debitibus temporibus renovare Sacramentum, decenter ad infirmos associari cum duodecim saltem intortitiis a societe Sacramenti manutentis populumque ad hoc cum consuetis signis convocare et associantibus concessas indulgentias publicare; communicatis in Pasche schedas distribuere illasque recoligere; sub hac sua plebe animas in totum numerari 862, quorum 590 communione refici et 272 nondum eucharistica Pane esse capaces. Extat societas sanctissimi Sacramenti perantiqua, quae nullis fruitur redditibus, sed ex eleemosinis manutenet intortitia et suppellectiles pro decenti associatione Sacramenti ad infirmos nec non in tribus solemnitatibus, scilicet Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, Paschatis et Pentecostes |32| erogat pro quaque solemnitate. Admodum reverendus archipraesbyter cereos sex ponderis librae unius pro quoque. Vedit vexillum, umbellam, baldachinum, fanalia, caeteraque opportuna pro deferendo sanctissimo Sacramento ad infirmos, omnia bene tenta, quae providet societas antedicta sanctissimi Sacramenti. Populo cum Sacramento benedixit et quam pluribus cristifidelibus eucharisticum Panem propriis manibus ministravit. Sacerdotalibus subinde indutus paramentis, sacrosanctum missae sacrificium peregit, qua missa absoluta iterum sacram Sinaxim nonnullis distribuit. Porro actis Deo debitibus gratiis, pontificalibus vestitus

utriusque sexus quamplurimis Confirmationis sacramentum administravit. His absolutis, in aedes parochiales se recepit ibique una cum suo vicario visitationis antedicto pro tribunali sedit; coram quibus vocatus comparuit nobilis et admodum reverendus dominus Ioannes de Vico, sacerdos aetatis [32^v] annorum 45, archipraesbyter huius plebis Sanctorum Apostolorum, cum bullis apostolicis sub datum Romae 6 kalendas februarii 1739, quas ostendit nec non mandatum executivum episcopale diei 9 martii 1740; obtulit quoque libros parochiales, baptizatorum scilicet matrimoniorum et mortuorum ac status animarum, quos bene tentos cognovit. Illustrissimus et reverendissimus praesul item praesentavit policeas requisitas, in fine huius sub littera C repositas, quem monuit ut diebus festivis applicet pro populo. Perquisitus de suo clero et populo, respondit quoad clerum recte omnia procedere; quo vero ad populum tres habere inconfessos, quorum duos tamen sperat se iam lucratos esse, vel quamcitatissime lucraturum, sed alterum esse duri cordis, suas tamen non esse omissurum partes. Super quibus illustrissimus et reverendissimus praesul monuit matrem illius qui est obturati cordis ut pro salute aeterna filii quam maxime invigilet et reverendum archipraesbyterum ut super eosdem suas non deserat partes omnique conatu ad sinum Patris perditos filios reducere curet. [33] Recesso archipraesbytero vocatus fuit nobilis comes Leander Giusti, deputatus viciniae et alii ex eadem et interrogati de ministerio, vita et moribus parochi nec non sacerdotis in cura animarum coadiutoris aliorumque, responderunt quam religiose et sedulo curam animarum ab iis exerceri eorumque mores honestissimos esse. Successive comparuerunt: reverendus dominus Angelus Ferrais, sacerdos de Zago annorum 41, curatus huius ecclesiae cum mandato pro confessionibus die 29 augusti 1741, ad annum confirmato. Reverendus dominus Michael Angelus Zeviani, sacerdos veronensis annorum 30, cum mandato confessionum pro maribus die 27 septembris 1741 prorogato ad annum, quod pro utroque sexu ampliavit. Reverendus dominus Ioseph Masotto, sacerdos veronensis, cappellanus cathedralis aetatis annorum 32. Reverendus dominus Ioseph Bresavola, sacerdos veronensis aetatis annorum 47. Reverendus dominus Paulus Aliprandi, sacerdos veronensis aetatis annorum [33^v] 28, confessarius cum mandato pro maribus et mulieribus infirmis ad annum die prima martii 1741 dato. Reverendus dominus Ioannes Baptista Perini, sacerdos veronensis aetatis annorum 25. Reverendus dominus Antonius Mauricius Lunensis, Sarzanensis diaecesis aetatis annorum 46, cum suis dimissorialibus die 31 novembris 1737 ad decennium concessis, confessarius cum mandato episcopali huius curiae die 28 iulii 1741, ad annum confirmato. Reverendus dominus Ioseph Zambelli, sacerdos mantuanus aetatis annorum 62, cum suis dimissorialibus ad beneplacitum concessis et cum mandato episcopali pro confessionibus die 2 decembris 1741, ad annum confirmato. Reverendus dominus Dominicus Franceschini, sacerdos veronensis aetatis annorum 46. Reverendus dominus Ioannes Magri, sacerdos brixiensis aetatis annorum 41 cum dimidio, munitus suis dimissorialibus ad triennium die 21 octobris 1739 datis, cum mandato episcopali ad missas die 25 ianuarii 1742, confirmato [34] usque ad terminum suarum dimissorialium. Reverendus dominus Andreas Miliari, sacerdos veronensis, philosophiae lector in venerabili seminario, aetatis annorum 31. Reverendus dominus Iacobus Pertera, sacerdos de Doliaco brixiensis diaecesis, cum suis dimissorialibus ad annum diei 27 ianuarii 1741, cui per quindecim dies facultatem celebrandi impertitus est, ut hoc interim earumdem confirmationem obtineat eamque obtentam curiae episcopali praesentabit. Venerabilis clericus diaconus Georgius Petenelli, annorum 23. Venerabilis clericus in minoribus Caietanus Camozzini, annorum 22 circiter. Venerabilis clericus Hieronymus Raimundus Ferrais, in minoribus constitutus, annorum 19. Reverendus dominus Bartholomaeus Gottardi, aetatis annorum 55, sacerdos cappellanus ad altare sanctae Annae, officiatura de iurepatronatus nobilis domini abbatis Francisci Rinaldi, cum onere celebrandi singulis diebus ferialibus et est confessarius cum mandato die 18 iunii 1741, ad annum confirmato. Reverendus dominus Antonius Ferrarini, aetatis annorum 38, sacerdos cappellanus [34^v] ad altare Iesu, officiatura institutae a quondam Margharita Gonzati vidua quondam Iulii Collatello, suo testamento diei 24 iulii 1674, in actis domini Ioannis Baptistae Peroni notarii. Reverendus dominus Iacobus Baccilieri de Breonio aetatis annorum 28, qui ad nutum archipraesbyteri celebrat pro officiatura ad altare sancti Antonii, relictam a quondam domino Bartholomaeo Maraviglia, suo testamento 28 iulii 1708. Reverendus dominus Ioannes Baptista Moccato, sacerdos veronensis aetatis annorum 38, rector cappellae sanctae Theuteriae, cum bullis episcopalibus diei 18 februarii 1739 et mandato ad confessiones die 20 novembris 1741, ad annum confirmato. Qui omnes, cum deveneratione, sua respective mandata et requisita ostenderunt. Successive comparuerunt: Margharita vidua quondam Francisci Vacchelli annorum 70 circiter; Lucia uxor Ioannis Sandri annorum aetatis sue 50, obstetrices, quas per examen habiles et idoneas, praecipue in conferendo baptismate in casibus necessitatis, cognovit. [35] Convocatis vero per consueta signa pueris ac puellis pro exercitio doctrinae christiana, in ecclesiam descendit et in primis vidiit pueros a puellis separatos cum pertensa dimidiante tela; inde singulas classe puerorum et puellarum visitavit illosque et istos per varias interrogationes expertus est, recte respondentibus

munera ad hoc parata elargendo, quos et quas cum animi sui laetitia bene instructos et instructas invenit. Regitur autem hoc sanctum opus iuxta regulas et duo visitatores, prior, subprior, magistri 30 circiter et discipuli 80 pro maribus numerantur; pro mulieribus vero duae visitatrices, priorissa et sub priorissa, magistrae 15 et discipulae 75 circiter, cum aliis officiis ad hoc necessariis; consuetis temporibus traditur doctrina christiana seu eius explanatio pueris ab admodum reverendo archipraesbytero et puellis a reverendo curato. Frequentatur communio, ut ex libris oblatis cognovit. Subinde visitavit |35^v| olea sancta, in vasulis stamneis a cornu evangelii ad altare maius, in arcula lignea inaurata sub clavi tenta. Contra dictam arculam aliam similem a latere epistolae vidit pro custodiendis sacris reliquiis. Fontem baptismalem, amplae et pulcrae formae, in cappella in calce ecclesiae a latere epistolae erectum, bene et tute sub rastris ligneis et clavi tentum et custoditum. Vedit tria confessionalia in ecclesia disposita, bene tenta. Altare maius, sub titulo sanctorum Apostolorum, marmoreum cum portatili et icona, opus Simonis Brentana, ab archipraesbytero manutentum, cui nullum est annexum onus missarum. Altare beatae Mariae Virginis, marmoreum cum portatile et non vulgari icona, de ratione ecclesiae sed manutentum a societate sanctissimi Sacramenti, quae societas habet onus celebrare faciendi missas iuxta valorem legati tronorum 37.4, ex testamento quondam nobilis dominae comitissae Laurae Bervilaqua Nogarola diei 12 ianuarii 1626 et ad nutum archipraesbyteri; adimplet modo per reverendum dominum Ioannem Baptisam Perini. |36| [A margine: Oratorio di Santa Teuteria] Visitavit cappellam propinquam et sacristiae ecclesiae adhaerentem Sanctorum Theuteriae et Tuschae, quae est perpetuum simplex ecclesiasticum beneficium de iure patronatus nobilis domini comitis Caietani Bevilaqua, cuius cappellaniae seu perpetui beneficii ecclesiastici modo est rector reverendus dominus Ioannes Baptista Moccato, cum bullis episcopalibus ut supra in eius comparitione dictum fuit. Tria ibi vidit altaria, scilicet: altare maius cum portatili, ubi extat depositum marmoreum in quo quiescunt corpora dictarum sanctorum. Altare sancti Gulielmi, marmoreum in mensa cum portatili, in reliquis ligneum. Altare sancti Francisci, item in mensa marmoreum cum portatili, in reliquis ligneum. Retro altare maius extat parvus locus ubi se parat sacerdos celebraturus; et visitavit sacras suppellectiles ad sacram faciendum, quas et decoras et abundanter a pietate praefati nobilis domini comitis patroni comparatas |36^v| invenit; qui patronus integre et laudabiliter totam manutenet cappellam et ex sua devotione, nullo onere gravatus – ut asseruit – missam diebus festivis in dicta cappella celebrare facit per antedictum eiusdem rectorem. Subinde visitavit sacristiam, prope chorum a latere epistolae existentem ibique paramenta, vasa sacra sacrasque suppellectiles pro missa sacrisque functionibus peragendis et bene provisam ac tentam invenit. Vedit chorum, sedilibus nuceis ornatum et bene dispositum. Visitavit altare Sanctissimae Trinitatis, marmoreum cum portatili et icona, cuius est auctor Sanctus Creara, manutentum ab archipraesbytero, ubi extat officiatura ex testamento 5 augusti 1666 quondam dominae Mariae Sassa vidua quondam domini Camilli Redolfo, cum onere celebrandi missam singulis diebus festis et bis in qualibet hebdomada, stipe ducatorum 60, sex tamen ex istis singulis annis sacristiae erogandis, quam officiaturam ad praesens adimplet |37| reverendus dominus Angelus Ferrais curatus, dicta stipe tradita a dominis de Bresavolis; aliud habetur legatum tronorum 7, quod solvit singulis annis a nobilibus dominis Zenone et Francisco Redolfi de Suapio pro missis celebrandis ad nutum domini archipraesbyteri. Altare sanctissimi Nominis Iesu, marmoreum cum portatili, manutentum ab archipraesbytero. In basi columnae a parte evangelii haec legitur inscriptio: Altare nobilium Florinorum, quod haeredum permisso et in basi alterius columnae a latere epistolae sic prosequitur: Pius vir in honorem Nominis Iesu auxit et utraque in parte extat stema nobilium de Florinis. Hic habetur officiatura olim quotidiana, ex testamento quondam dominae Margharitae Gonzati viduae quondam Iulii Collatelli diei 24 iulii 1674, in actis domini Ioannis Baptisae Peroni notarii, nunc vero, ex diminutione reddituum – ut assertum fuit – ad missam festivam et duas in qualibet hebdomada redacta, quas celebrat reverendus dominus Antonius Ferrarini, qui dictam officiaturam in titulum sui patrimonii possidet. Aliud extat legatum |37^v| ducatorum duodecim, ex testamento quondam dominae Iuliae Basso Chioda diei 13 ianuarii 1714, cum onere unius missae in qualibet hebdomada ab archipraesbytero celebrandae. Altare sancti Laurentii, ligneum cum portatili, a reverendo archipraesbytero manutentum, de iure ecclesiae, quamvis in basibus altari annexis appareant stemmata nobilis familiae Campanae. Ad hoc altare nullum extat onus missarum. Altare sancti Antonii, marmoreum cum portatili, a reverendo archipraesbytero manutentum, ubi extat officiatura quotidiana, ex testamento quondam domini Bartholomaei Maraviglia diei 25 iulii 1708, quam adimplet reverendus archipraesbyter et percipit pro eadem et pro sacristia ducatos 105 a nobili domino comite Maximiliano et fratribus de Emileis de Sancto Blasio pro medietate et pro altera medietate a domino Julio Cesare Marinelli de Santo Paulo de Campo Martio et reverendo domino Rocco Voltolini, paroco Villaefontanae. Altare sanctae Annae, marmoreum cum portatili, manutentum a reverendo archipraesbytero. Ad idem altare extat officiatura quotidiana huc anno 17726 circiter – ut fuit assertum – de |38| licentia

episcopali translata a nobili domino reverendo Francisco Rinaldi et fratribus, cui satisfit pro diebus ferialibus a reverendo domino Bartholomaeo Gottardi et pro diebus festivis a reverendo domino Antonio Caretoni. Alia quoque habetur officiatura, relicta suo testamento 14 octobris 1714 ab admodum reverendo domino Camillo Ruggienti, olim archpraesbytero huius plebis, cum onere missae festivae et unius missae in qualibet hebdomada, cui oneri usque ad annum 1740 adimpletum fuit per reverendum dominum Nicolaum Zanoni; subinde a domino Andrea Zenari aerede dicta obligatio omissa fuit, ex ipsius testatoris conditione – ut dictum fuit – cum dicto tempore ferme nulli fuerint redditus. Demum vidit totam ecclesiam, quae est antiqua plebs sub invocatione Sanctorum Apostolorum et est consecrata, ut ex chirographo in membranis constat anno 1194 die dominico duodecimo exeunte martio. Vedit organa et domum parochiale. Factis vero infrascriptis ordinationibus, cum De Profundis suam pastoralem clausit visitationem et ad suum episcopale **[38^v]** palatum prandium sumpturus se restituit. Ordinata. Super ostiolo oleorum sanctorum pingatur vel incidatur inscriptio Olea Sancta et eorumdem locus intus vestiatur panno violacei coloris – fons baptismalis provideatur conopeo quo cooperiatur – quatuor patenae retro argento liniantur – in registro missarum propria manu sacerdotes celebrantes se describant, exprimendo diem et obligationem pro qua satisfecerint huic ecclesiae adnexam – a scannis in choro altari maiori adherentibus removeantur sedilia, ne sanctissimo Sacramento terga vertantur – altare sanctissimi Nominis Iesu provideatur de novo portatili iuxta mensuram canonicam intra trimestre, aliter suspensum declaravit – omnes reliquiae huic caeterisque altaribus expositae sigillo et documentis carentes removeantur et amplius non exponantur nisi edoctum fuerit **[39^v]** de autenticitate – moneatur dominus Andreas Zenari, haeres quondam admodum reverendi domini Camilli Ruggienti, olim archipraesbyteri huius ecclesiae, ut compareat et doceat de obligatione ad altare sanctae Annae, ab ipso testatore demandata. Die 3 februarii 1742. Comparuerunt in cancellaria episcopali reverendus dominus Ioannes Baptista Guzzoni, cappellanus pii loci Misericordiae et dominus Carolus Tosi, factor eiusdem pii loci et, iuxta ordinata in visitatione nuper facta, praesentarunt reliquiarium ibi descriptum pro recognitione sigilli, quod recognitum fuit pro sigillo illustrissimi et reverendissimi domini domini Ioannis Bragadeni episcopi veronensis, comitis et cetera et ita et cetera. Die 17 februarii 1742. Comparuit in cancellaria episcopali reverendus dominus Ioannes Dominicus Longo, cappellanus simplicis ecclesiae Sancti Agnetis huius civitatis et, parendo ordinatis in visitatione eiusdem ecclesiae nuper habita, praesentavit inventarium bonorum eiusdem ecclesiae, repositum sub littera [manca] et sacram **[39^v]** reliquiam sanctae Luciae pro recognitione eiusdem sigilli, quod recognitum fuit pro sigillo nobilis et reverendissimi domini Francisci Santilia, archidiaconi huius cathedralis et tunc temporis vicarii generalis et ita et cetera. Die 17 februarii 1742. Comparuit in cancellaria episcopali dominus Ioannes Antonius Squarzago et, parte et nomine nobilis domini comitis Antonii Mariae Peres, praesentavit processum inscriptum foris Carte fondamental del nobile signor conte Antonio Maria Peres per il suo altare essistente nella venerabile chiesa della Frata di Verona, qui continet paginas scriptas novem et ita et cetera. Reverendissimus dominus vicarius visitationis, qui supra viso processu ut ante praesentato decrevit, cum non satis constet de bono iure dicti nobilis domini comitis Peres iurispatronatus altaris Passionis Domini nostri Iesu Christi, ipsum altare liberum esse ab huiusmodi praetenso iurepatronatus nisi, termino unius mensis, melius declaretur ex parte nobilium de Cicenea vel eorum successorum quaenam **[40^v]** fuerit intentio occasione cessionis et venditionis domus descriptae in scriptura 12 maii 1716 producta, in actis domini Petri Recalca, notarii collegiati Paduae, die 12 martii 1717 et ita et cetera, omni et cetera, aliter et cetera. Die 5 martii 1742. Comparuit dominus Andreas Zenari, haeres gravatus coram reverendissimo domino Petro Antonio Albertini, vicario visitationis et testamentum quondam admodum reverendi domini Camilli Ruggienti archipraesbyteri obtulit, in actis Bertini notarii, ex quo constat gravatum esse eumdem Zenari ad faciendum celebrare quot annis missas iuxta valorem ducatorum 40, cum conditione quod, si haereditatis fructus minoris sint valoris ducatorum 40, in tali casu possit ipse haeres pro sua conscientia suspendere celebrationem missarum, plus minus prout suaे ipsius conscientiae videbitur, quod tamen testator sibi tantummodo et eius uxori quoad usque usum fructum eius haereditatis percipiat concessit, non vero successoribus haeredibus fideicommissariis prout in ipso testamento, ad quod et cetera et subiunxit ipse **[40^v]** dominus Zenari anno praeterito tantummodo missas huiusmodi celebrari faciendas omisisse, eo quia de facto et in sua conscientia fere nullos redditus ex bonis haereditariis perceperit, paratum caeteroquam se esse hoc anno et in futurum implere voluntatem testatoris, quae commissa fuit suaे conscientiae et ita et cetera. Quare idem reverendissimus dominus vicarius visitationis graviter monuit praefatum dominum Andream Zenari ut, ea qua par est diligentia et religione, adimpleat onus, de quo divino iuditio districtam rationem est redditurus et ita et cetera omnit et cetera. **[41^v]** [A margine SANTO STEFFANO] Die dominico in Albis prima mensis aprilis 1742. Illustrissimus et reverendissimus in Christo pater et dominus dominus Ioannes Bragadenus, Dei et sanctae sedis apostolicae gratia episcopus

veronensis, comes et cetera, sanctissimi Domini nostri papae praelatus domesticus et assistens et cetera, in suum episcopale munus non intermissis laboribus initens, pastoralem suam huius civitatis visitationem prosequendo, illam ad parochialem ecclesiam seu plebem Sancti Stephani, vetustate ita venerabilem, pro hac die decrevit ac per consuetum aedictum et instructionem opportune ad admodum reverendum dominum archipraesbyterum trasmissum intimata fuit. Itaque praemissis duobus ex reverendis patribus strictioris observantiae sancti Francisci ad missionis officium exercendum peractisque sacris praescriptis functionibus, in eadem plebe visitationem praevenientibus, ut eius fructus uberior evadat ac stata die, secum assumptis reverendissimo domino Petro Antonio Albertino, iuris utriusque doctore, archipraesbytero parochialis ecclesiae Sanctorum Firmi et Rustici ad pontem et eius provicario generali admodum reverendo domino Iosepho Mezzanini, archipraesbytero Sancti Ioannis in Foro et caeremoniarum magistro, me procancellario **[41^v]** totaque eius familia, se contulit ad dictam plebem Sancti Stephani. Ad medietatem pontis Petrae perventus, obvium habuit admodum reverendum dominum Hieronymum Patirani iuris utriusque doctorem, archipraesbyterum dictae plebis, cum copioso suo clero nec non se obtulerunt sindicus et raciocinatores intus et extra viciniae eiusdem plebis, suam illustrissimam et reverendissimam dominationem devenerantes et obsequentissime recipientes. Super pulvinaribus stratis genuflexus, eodem tempore tormentis belicis in eminenti loco Castri Sancti Petri explosis salutatus fuit et, deosculata cruce ab admodum reverendo archipraesbytero pluviali induito oblata ac receptus sub baldachino, a sex ex confratribus sanctae congregationis Cleri intrinseci Veronae gestato, scilicet archipraesbyteris Sancti Quirici, Sancti Faustini, Sancti Clementis et Sancti Firmi de Curte Alta ac rectoribus Sanctae Margharitae et Sancti Petri in Archivolto, processionaliter praecedente clero cantus Benedictus et cetera decantante, templum adivit. In limine ianuae maioris populum aspersit aqua sancta, aspersorio accepto ab admodum reverendo archipraesbytero, qui triplici ductu eidem thurificationis **[42]** honorem praestitit. Subinde inter musicalium instrumentorum concentus solemniter templum ingressus est. Ante altare maius genuflexus, paulisper oravit, decantatis interim decantandis. Quibus absolutis, altare ascendit et, recitata oratione titularis eoque deosculato, populo benedixit et suam episcopalem indulgentiam elargitus est. Ex altari ad thronum sibi a latere evangelii paratum veniens, ibi assistantibus in dalmaticis admodum reverendis archipraesbyteris Sancti Ioannis in Valle et Sanctorum Apostolorum, violaceis paramentis indutus fuit et exequias absolvit in ecclesia et coemeteriis contiguis, quae visitavit et ordinavit ut infra. Violaceis exutus et sumptis sacris vestibus albi coloris debitisque adoratione, hymno et thurificatione praemissis, visitavit sanctissimum Eucharistiae sacramentum, ad altare maius in tabernaculo marmoreo et pixide argentea in cupa, cum pede vero cupreо inaurato, ubi aliam vidit parvam pixidem argenteam, **[42^v]** quod Sacramentum tamen servatur cum debito decore ad altare sancti Andreae, a latere epistolae altaris maioris existens, tute sub clavi custoditum. Lampadem die nocteque accensam manutenet admodum reverendus archipraesbyter. Animae sub hac plebe quae communicant sunt 864, scilicet viri 392, mulieres 472, in totum vero implent numerum 1307, non computatis tamen militibus ac alumnis derelictorum et mendicantium. Quae extra moenia sub eadem plebe incolunt, quae communicant sunt viri 84, mulieres 71, in totum 266. Ex factis perquisitionibus cognovit admodum reverendum archipraesbyterum schedas distribuere communicatis in Paschate illasque recolligere; sanctissimum Sacramentum temporibus debitis renovari; dum ad infirmos deferri debet, opportune dari signa ad convocandum populum ac indulgentias associantibus concessas publicari; processionem sanctissimi Sacramenti loco diei Corporis Christi fieri die Assensionis decentissime, sumptibus societatis sanctissimi Sacramenti, quae etiam **[43]** manutenet duodecim vel saltem octo intortitia pro associatione Sacramenti ad infirmos nec non sex candelotos ad altare ponderis librarum duarum pro quaque in singulis functionibus ecclesiae. Vedit fanalia, parvam umbellam et vexillum, omnia piorum eleaemosinis comparata reliquaque suppelleciles pro honorifica associatione sanctissimi Sacramenti, a praefata societe manutentas illasque laudabiliter invenit. His peractis, iterum praemissis adoratione, hymno et thurificatione, cum sanctissimo Sacramento populo benedixit et, iisdem assistantibus archipraesbyteris, quampluribus utriusque sexus christifidelibus angelicum Panem ministravit. Porro in throno sedens, a praedictis archipraesbyteris sacerdotalibus paramentis induitur et, iisdem assistantibus, ad altare maius inter instrumentorum concentus musicales sacrosanctum missae sacrificium absolvit actisque Deo optimo maximo gratiis, multis utriusque sexus fidelibus, praelibatis assistantibus archipraesbyteris, Confirmationis sacramentum ministravit. **[43^v]** Quibus absolutis et properata iam hora, ad suum episcopale palatium se restituit et prandium sumpsit. A prandio eiusdem diei prima aprilis 1742. Praefatus illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus ecclesiam plebis antedictae Sancti Stephani ut ante adivit et, receptus ab admodum reverendo archipraesbytero, dominis visitatoribus et confratribus doctrinae christianaе, ante altare maius genuflexus Deo optimo maximo preces fudit. Porro convocatis iam per consueta signa pueris et puellis eisque ad suas

classes dispositis, scilicet puellis superiori in parte eiusdem plebanae ecclesiae et pueris in inferiori parte, classes omnes paterna charitate visitavit et per examen ac varias interrogationes, quomodo instructi ac instructae sint de misteriis fidei aliisque scitu neccessarii expertus est suique animi laetitia bene eductos et eductas reperiit. Subinde vidit notas ac libros eiusdem doctrinae iuxta regulas et, vocatis per cathalogum confratribus factaque adhortatione pro frequentia et diligentia cultu huiusmodi sancti operis ac monitione **[44]** sacerdotibus et clericis huius plebis ut in fine praesentis, per consuetas preces doctrinam ipsam dimisit. Postea visitavit olea sancta, in loculo perantiquo a latere evangelii in choro parato, tute sub clavi custodita, quae singulis annis a cathedrali percipiuntur. Visitavit sacrum fontem baptismalem, in aedicula – ad medium ecclesiae prope ianuam minorem ecclesiae, a latere epistolae constructa – erectum, sub rastris ferreis bene custoditum. Fons est marmoreus, ciborio nuceo elegantis formae coopertus et bene tentus, ad quem fontem viget perantiqua consuetudo ac ius deferendi quemlibet cuiuslibet parochiae huius civitatis pro sacro baptimate habendo. Visitavit quatuor confessionalia in ecclesia disposita, cratis ligneis et lateis non rite perforatis munita, pro sacramentalibus confessionibus excipiendis. Visitavit sacristiam, a latere evangelii subtus domum parochiale existentem, ubi servantur sacrae suppellectiles et vasa sacra pro sacro faciendo ecclesiasticisque functionibus **[44^v**] peragendis, quae omnia vidit et abunde et cum decore esse provisum invenit. His peractis, ad suum episcopale palatium se restituit. Die lunae 2 aprilis 1742. Iterum illustrissimus et reverendissimus praesul antedictus ad praedictam plebem Sancti Stephani se contulit ut ante et, honorifice ut praefertur receptus ante altare maius, preces Deo fudit et pro sacrificio missae praeparationem emisit. Sacerdotalibus indutus, inter instrumentorum musicalium concentus, sacrum fecit; quo peracto actisque Deo gratiis, visitavit: altare maius, ex selectis marmoribus constructum statuisse item marmoribus ornatum, inter quas in medio assurgit statua sancti Stephani, cui altare dicatum est et extat quoque icon a Felice Brusasorzi depictum subtus fornicem collocatum, rapresentans imaginem Christi gerentis crucem a sancto Stephano substantiam. Hoc altare fertur esse consecratum, prout etiam ex constanti traditione consecrata est tota ecclesia, **[45]** cuius anniversaria consecrationis dies cum ignoraretur, dessignata et statuta fuit dies vigesima tertia mensis octobris cuiuslibet anni ab illustrissimo et reverendissimo domino domino Marco Gradonico, episcopo veronensi, in visitatione huius plebis habita die 28 octobris 1718, prout liquet ex actis eiusdem visitationis; fertur quoque in hoc altari conditum servari corpus sancti Felicis episcopi veronensis. Eiusdem ornamenta, quibus abundat, manutenentur a societate sanctissimi Sacramenti, in reliquis vero ab admodum reverendo domino archipraesbytero, qui asseruit nullas huic altari assignatas extare officiaturas; nihilominus se celebrare passim missas, scilicet ex legatis quondam Antonii Allici decem, quondam Simonis Anechini decem, quondam Cristati viginti duas, quondam Chechi duas et viginti ac celebrari unum anniversarium missarum sexdecim cum missa cantata pro legato quondam Da Prato iuxta voluntatem eiusdem, qui ita disposuit. [A margine: Vide infra paginas 105 – 105 tergo – 107 tergo – 108 – 109 tergo] Ad dictum altare extat rucifixus argenteus in cruce nigra ebani, quae sustinetur a fulcro marmoreo de **[45^v**] ratione ecclesiae. Visitavit chorum ibique nonnullas sacras reliquias, sub tuta custodia servatas scilicet de ligno sanctissimae crucis Domini nostri Iesu Christi, de capillis beatae Mariae Virginis aliasque recensitas in visitatione illustrissimi et reverendissimi domini domini Marci Gradonici episcopi veronensis, qui pro earum antiquitate in sua privata veneratione manere mandavit, quod decretum et ipse illustrissimus et reverendissimus praesul confirmavit. Altare sancti Andree cum portatili, in uno ex lateribus ecclesiae a cornu epistolae altaris maioris erectum, marmoribus recenter instauratum ex devotione reverendi domini Marci Trevenzoli beneficiati in hoc altari, cuius icon rapresentans beatam Mariam Virginem, sanctum Andream et sanctum Petrum est insigniter depictum a celebri Caroto et eiusdem auctoris est etiam pictura in anteriori parte linea mensae, palium dicta. Existit tabernaculum marmoreum, quod visitavit, ubi servatur quotidie sanctissimum Sacramentum cum lampade accensa, ab admodum reverendo archipraesbytero manutenta. Extat cappellania sub titulo sancti Andreae, **[46]** cuius rector est dictus reverendus dominus Trevenzoli, institutus die 6 iulii 1714, [a margine: Vide infra pagina 93] cum diplomate archipraesbyteri huius plebis, ad quem ex consuetudine antiqua spectat electio et institutio, excepto casu lapsus temporis; nam tunc electio est cleri Sancti Stephani. Redditus huius Cappellaniae esse libras 124 circiter idem rector asseruit, onus vero missarum trium in hebdomada apparere in visitatione Gradonici, in qua videtur quoque rectorem teneri ad manutentionem altaris, quam sustinere dixit reverendus Trevenzolus praedictus ex sua pietate, exceptis iis quae necessaria sunt pro administratione Eucharistiae in hoc altari servatae; nam ea omnia manutenet admodum reverendus archipraesbyter. Vedit sacram reliquiam ex ossibus sancti Andreae apostoli, iam visam et recognitam in curia episcopali. Vedit breve apostolicum diei 7 novembbris 1739 ad septennium datum quo elargitur indulgentia plenaria utriusque sexus christifidelibus visitantibus. altare Sancti Mauri cum mensa marmorea et portatili ac **[46^v**] icona, in qua sunt depictae imagines sanctae Placidiae a dextris, in medio sancti

Mauri et a sinistris et desuper beatae Mariae Virginis, sancti Hieronymi, sancti Francisci et sancti Ioannis Baptistae. Hic extat beneficium sub titulo sancti Mauri, cuius rector est reverendus dominus Iacobus Lovati, cum diplomate admodum reverendi domini Hieronymi Patirani praesentis archipraesbyteri 17 maii 1734, visa et restituta, ad quam spectat institutio; praesentatio est sacrae congregationis Cleri intrinseci Veronae. Rector praefatus onus habet manutenendi altare et celebrandi missas, quarum numerus est in dicto diplomate indeterminatus, asserens redditus huius beneficii esse tronorum centum sexaginta circiter et tot missas celebrare quot, detractis oneribus et redditibus, qui supersunt celebrari possunt iuxta valorem solitae eleemosinae manualis quamvis in visitatione gradonica ditum sit teneri celebrare ter in hebdomada. Ad hoc altare habetur legum capitalis ducatorum 100 nuncupatum, |47| ut admodum reverendus archipraesbyter, dominus Zaghetto Sanctae Placidiae oblatum [a margine: Vide infra pagina 111 tergo] pro quo ignoratur, ut idem archipresbyter dixit, quale praecisum onus sit impositum, quod quale sit et ut capitale praedictum exigibile, debito studio curabit ipsem archipraesbyter. In mensa huius altaris, quod est bene tentum, relatum fuit iacere corpora sanctae Placidiae, sancti Simplicii et sancti Mauri. Altare sub titulo sanctae Mariae Veteris, seu trium Magorum, cum portatili ac mensa marmorea, nec non icona depicta a domino appellato Brusasorzi. Ad hoc altare extat cappellania de iure patronatus familiae de Bravis eligendi et praesentandi rectorem, [a margine: vide infra pagina 94 tergo] quem instituit dominus archipraesbyter Sancti Stephani. In praesentiarum eius rector est nobilis et reverendus dominus Aloysius Bravi pro quo, cum ipse degat Sustinentiae, uti procurator ad exigendum et celebrandum, celebrat bis in hebdomada reverendus dominus Marcus Trevenzoli, asserens redditus praefati beneficii modo exigui ad summam tronorum centum quadraginta circiter, qui gravati etiam sunt |47v| onere manutenendi altare. Altare sancti Nicolai seu sanctissimi Crucifixi, marmoreum in mensa cum portatili ac effigie ex ligno sculpta sanctissimi Crucifixi et alia sancti Nicolai. Ad praesens manutenetur a nobili familia domini Aloysii de Manfredis. Relictum olim fuit legatum tredecim anniversariorum cum missis duodecim pro quolibet anniversario; verum anno 1677 die 9 iunii celebrata fuit transactio inter illos de Manfredis et dominum archipraesbyterum huius plebis, in qua, stantibus causis in ea transactione narratis, permissa fuit optio nobilium de Manfredis aut solvendi tantum quantum foret necessarium pro celebrandis dictis anniversariis, aut solvendi quotannis ducatos quadraginta pro quibus possit dominus archipraesbyter celebrare tot missas per se quot celebranda forent ex hac solutione ducatorum quadraginta, detracto onere sacristiae, ita tamen ut, si ipse archipraesbyter noluerit per se celebrare sed alteri mandatus sit hoc onus adimplendum, in tali casu preferatur sacerdos, si quis sit, de eorum familia |48| nobilium Manfredorum. Fuit in hac transactione adiectum ut supplicaretur pro aprobatione canonica, sed nulla deinceps approbatio canonica appareat. Celebrat modo nobilis et reverendissimus dominus Chrisostomus Manfredi, canonicus cathedralis huius civitatis, qui dum modo Venetiis sit eius nomine reverendus dominus Franciscus Bracci scripturas praesentavit ac informationem dedit, quae, visae, restituae eidem fuerunt. Altare sanctorum Innocentium, in cappella magnifica et eleganti forma variis ornamentis ex stucco auro linito constructa, erectum cum portatili et mensa marmorea ac icona depicta a celeberrimo Paschale Ottini, in qua cappella extant quoque a lateribus duae aliae iconae, una quadraginta Martyrum, opus egregii pictoriis appellati Orbeti, altera vero sanctorum Quinque Episcoporum veronensem, opus celebris quoque pictoris Bassetti. In hac capella repositae fuere sacrae insignes reliquiae sanctorum Innocentium ac quadraginta Martyrum ac sanctorum Probi, Andronici, Petronii, Senatoris et |48v| Gaudentii, episcoporum veronensem, in tribus urnis marmoreis extractis ac sitis altera a fronte subtus iconam altaris et alterae a lateribus sub memoratis aliis iconis, quae urnae sunt munitae parvulis craticulis interpositis. Hoc altare fuit dotatum a quondam reverendo domino Julio Veraleo, cum onere imposito missae quotidiana, [a margine: vide infra pagina 96] ut fuit assertum, cuius tamen dotationis redditus modo non excedunt summam tronorum 396.18. Praesens capellanus est reverendus dominus Bartholomaeus Merzari, electus a sindico et raciocinatoribus una cum admodum reverendo domino archipraesbytero Sancti Stephani, ad quos ius spectat elligendi et adimplet onus praedictum iuxta vires praedictorum reddituum, detractis necessariis pro manutentione altaris, cum capellani sit illud manutenendi. Memoratus reverendus dominus Merzari electus fuit ad dictam officiaturam anno 1729 die prima septembbris et eamdem habet in titulum sui ordinis. |49| Altare sanctae Mariae ab Angelis, in praesens nuncupatum sancti Ioseph, ex marmore collustrato, a quondam reverendissimo domino Iosepho Bonduri, archipraesbytero huius plebis sua pietate aedificatum, bene tentum et provisum ac ornatum, cum sex candelabris, duobus vasculis, cruce, tobaleis ac lecturile ligneis argento solido decoratis, una cum Crucifixo pariter argenteo in dicta cruce defixo. Est cum portatili et icona depicta a domino Marchesini. In pariete ecclesiae a latere epistolae huius altaris, haec in marmore sculpta legitur inscriptio, scilicet: Unio Sanctae Mariae ab Angelis in Monte ut duo praesbyteri in hoc templo inserviant divinis et curae, praeter archipraesbyterum et ut semel in mense hic et ibi celebretur MDLIII. Duo extant

beneficia sub titulo beatae Mariae ab Angelis, quae distinguntur nuncupando beneficium primum et beneficium secundum sanctae Mariae de Angelis: ad primum elligit dominus archipraesbyter et vicinia sancti Stephani ac prior spectabilis collegii notariorum huius civitatis [a margine: vide infra pagina 117 tergo] singuli pro uno voto, quod beneficium instituit quondam Daniel de Monte, ut asseruit dominus **[49v]** archipraesbyter, cuius est instituere in dicto beneficio; modo est rector reverendus dominus Antonius Pesaro, pro quo celebrat reverendus dominus Camillus Zanmonte; alterum beneficium est electionis et institutionis dicti archipraesbyteri et modo est rector reverendus dominus Nicolaus Bovio, qui asseruit nullos exigere redditus. Vedit sacram reliquiam de tela imbuta sanguine sancti Philippi Nerii, recognitam iam in curia episcopali Veronae. Altare sancti Vincentii, non multis ab hinc annis a quondam domino Francisco Bonduri sua pietate ad elegantem formam ex marmoribus redactum, cum portatili et icona depicta a domino Sancto Prunati; ad quod duae extant capellaniae, una Mainenti nuncupata, ad quam elligunt duo sacerdotes antiquiores institutione et duo de maiori aestimo huius parochiae: dominus vero archipraesbyter capellanum instituit, [a margine: vide infra pagina 100 et 114 tergo] cuius est rector reverendus dominus Iacobus Ferrari; altera nuncupatur di donna Libera, ad quam sindici et raciocinatores contratae elligunt et dominus archipraesbyter instituit; modo est rector reverendus dominus Dominicus Gasparini, institutus die 7 iunii 1723, cum bullis vasis et restitutis. **[50]** Altare Sancti Spiritus, ligneis ornamentis extructum, cum portatili et icona depicta ab Horatio Farinati; olim erat de ratione illorum de Scaramutiis, modo vero manutentetur a domino Bartholomeo Facioli, una cum domino archipraesbytero; ibi extat legatum, cuius ratione solvit dominus Ioannes Baptista Serpe tronus septuaginta quatuor marculos octo, [a margine: vide infra pagina 111] pro quibus celebrat dominus archipraesbyter missas quadraginta novem. Altare beatae Mariae Virginis, appellatum a Pueritia, de ratione et manutentum a societate eiusdem beatae Mariae Virginis, cuius expensis eleganter reaedificatum et ornatum existit. Plures habentur ad hoc altare officiatura: primum, una Zaneta, altera Maura nuncupata, pro quibus celebrare debet – ut asseruit dominus archipraesbyter – admodum reverendus dominus Stephanus Zamperini, archipraesbyter Sancti Michaelis ad Portas seu eius frater reverendus dominus Ioannes Baptista Zamperini; alia appellata Buri, pro qua celebrat reverendus dominus Marcus Trevenzoli, [a margine: vide infra pagina 112 tergo] alia Rambalda, pro qua celebrat reverendus dominus Bernardinus Patirani; alia Passalia, pro qua celebrat reverendus dominus Marcus Silvestri. Habetur quoque legatum Milani nuncupatum, pro quo adimplet – ut dicitur – [a margine: vide pagina 99] **[50v]** reverendus dominus Angelus Ferrais. Ad hoc altare celebrantur etiam quaedam missae ex eleaemosinis quas suppeditat societas praedicta, hic erecta a nobili et reverendissimo domino comite Francisco a Puteo, canonico cathedralis, quas missas asseruerunt confratres in quatuor officiis esse ex earum institutione celebrandas. Visitavit retro altare sancti Vincentii locum, qui olim inserviebat tantummodo pro archivio societatis beatae Mariae Virginis a Pueritia et pro conservandis suppellectilibus de ratione eiusdem societatis; paucis vero ab hinc annis, sine aliqua canonica permissione – quae sciatur – inservit pro usu sacristiae quibusdam sacerdotibus celebrantibus in hac ecclesia; quapropter aliqui ex confratribus et, inter illos vice prior et raciocinator, humiliter supplicaverunt suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut locus iste restituatur pristino usui, se se submittentes iudicio eiusdem quoad usum canonicum sacristiae, et ita et coetera. Super qua instantia illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit prout in suis ordinatis et decretis quoad sacristiam, quibus et coetera. **[51]** Descendit in locum subteraneum seu criptam vulgo confessione perantiquae structurae, ubi visitavit duo altaria, scilicet altare sanctorum Blasii et Alexandri cum portatili et mensa marmorea, in qua incisa legitur haec inscriptio: Hic Sanctorum Episcoporum Veronensium Blasii et Alexandri corpora veneratur antiquitas. Ad hoc altare extat beneficium simplex, fundatum anno 1461 die 21 iulii in actis domini Pauli Zeni de Buris et Caroli Varugolae notarii; cuius collatio et institutio spectat ad sanctam Congregationem Cleri intrinseci huius civitatis; praesentatio vero ad dominum archipraesbyterum et duos sindicos contratae Sancti Stephani, quod die 2 augusti anno 1678 reductum fuit a domino provicario generali episcopali ad onus celebrandi bis in hebdomada et diebus solemnioribus anni, ut constitit in visitatione gradonica. Altare manutentetur a reverendo Francisco Bussola, moderno rectore, cum bullis praefatae sacrae Congregationis diei 27 aprilis 1731, visis et restitutis, qui tenetur ad praedictum onus missarum. Altare est bene tentum. **[51v]** Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus decrevit ut idem rector Franciscus Bussola doceat an impleverit oneri suo nec non praesentet id omne quod est praesentandum, iuxta supplicationes exhibitas et receptas die 31 martii 1742, quarum una est pro parte sacrae congregationis Cleri intrinseci huius civitatis Veronae et altera ipsiusmet cleri et ita et cetera, omni et cetera. [A margine: die 2 aprilis 1742 idem reverendus Bussola praesentavit varios processus contra diversos et aliquot libros affectualium. Die 15 ianuarii 1743 eidem praesentanti omnia restituta fuere] Praefatus reverendus dominus Franciscus Bussola, rector praemissae capellaniae petiit

ac instetit a sua illustrissima et reverendissima dominatione locum sibi bene visum assignari pro asservandis sacris suppellectilibus eiusdem altaris et ita et cetera. Visitavit altare sub titulo Annunciationis beatae Mariae Virginis, de ratione confraternitatis sub invocatione eiusdem beatae Mariae Virginis, antea existentis sed canonice erectae die 12 februarii 1721, auctoritate illustrissimi et reverendissimi domini domini Marci Gradonici, tunc episcopi veronensis, ut ex eius diplomate viso, recogito et restituto. Altare est cum portatili, bene tentum ac manutentum ab ipsa confraternitate, ex cuius devotione iuxta mentem confratrum, stipe ab iisdem praestita, ibi reverendus dominus Iacobus Loveto singulis diebus festis celebrat. Habet societas redditum ducatorum sex, **[52]** pro quo redditu recitare litanias singulis diebus festis iuxta intentionem quondam dominae Luciae Zenti, cui oneri adimpletur. Confratres observant institutum suum et sacramenta iuxta idem institutum frequentant. Obtulerunt iidem confratres diploma aggregationis archiconfraternitati beatae Mariae Virginis Annuciatae supra Minervam de Urbe diei 6 aprilis 1720, visum et recognitum in hac episcopali curia die 14 decembris 1720. Exhibuerunt pariter reliquiam ex velo beatae Mariae Virginis intincto cruento Domini nostri Iesu Christi, munitam sigillo et patentibus autenticis, recognitis die 6 martii 1738 in hac curia episcopali, visam et restitutam. Quibus habitis, ad suum episcopale palatum prandium sumpturus se restituit. Die 2 mensis aprilis 1742 post prandium. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, suam continuando visitationem, se ut ante contulit ad praefatam ecclesiam parochialem Sancti Stephani. Obsequenter receptus ab admodum reverendo archipraesbytero et clero, illam ingressus est, facta prius de more in limine **[52^v]** ecclesiae aquae benedictae super populum aspergillo a dicto archipraesbytero recepto, ubi paulisper ante altare maius in parato faldistorio genuflexus oravit. Subinde in aedes parochialis domus superiores se se recepit et pro tribunali, una cum suo reverendissimo domino provicario generali sedendo, coram comparuerunt: admodum reverendus dominus Hieronymus Patirani, sacerdos bergomensis iuris utriusque doctor et archipraesbyter huius plebis, aetatis suae annorum 57, cui praefectus fuit per bullas pontificias diei 27 augusti 1712, praemisso examine, per concursum coram illustrissimo et reverendissimo domino domino Ioanne Francisco Barbadico episcopo veronensi; possessione vero eiusdem ecclesiae accepta die 30 septembris 1712, qui parochiales libros ostendit et policeas iuxta aedictum praesentavit, in fine huius libri repositas sub littera D. Interrogatus de suo clero et populo, quoad primum nonnullorum negligentias in Dei et ecclesiae servitio notandas esse asseruit; quo vero ad secundum, bene retulit. Porro circa onus applicandi missas diebus festis pro sibi commisso populo, admonitus fuit ne imposterum praetermittat satisfacere. Quo admodum reverendo archipraesbytero dimisso, sumptis informationibus a fide dignis **[53]** de vita, moribus et studio in suo parochiali munere adimplendo dicti archipraesbyteri et de clero eiusdem plebis, recte quo ad archipraesbyterum responsum fuit; quo vero ad clerum nonnullos esse qui sua munera in servitio ecclesiae negligunt. Dominus Maria Sertorius sindicus et Carolus Coda rasonerius exposuerunt indecens esse ut subsistat locus retro altare sancti Vincentii ad usum sacristiae; nam et locus ipse est laicalis societatis et indecorum est ut sacerdotes, aparati sacris paramentis, exeant ex eo angulo ubi est parvula ianua illius loci ita ut, si missa celebretur in altari sancti Vincentii, eundo et redeundo in dictum locum sacerdos celebrans distrahi possit ac praeterea sacerdotes qui in eo loco sacris paramentis vestiantur ad missas celebrandas, inde exeunt prout eis lubet, sacras ecclesiae functiones solempnes aliquando interrumpendo, cum incomodo populi et ita et cetera. Super qua instantia provisum et ordinatum fuit prout in ordinatis et decretis, in fine huius visitationis. **[53^v]** Comparuit admodum reverendus dominus Ioannes Baptista Masotti, parocus Quinti et exposuit reverenter quinque domos extare in montibus, in quibus habitant animae circiter viginti, quae sunt de hac paroecia Sancti Stephani extra, quarum, cum ipse ex eius parochiali officio non teneatur curam gerere et ipse solus sit in eius parochia, ut propriam conscientiam exoneret suam illustrissimam et reverendissimam dominationem de hac re certiorem fecit, ut auctoritate sua earum animarum curae consulat et ita et cetera. Successive Antonius Caliarius, Ioseph Pierobel consiliarii et Octavius Benvenuti exactor communitatis praedictae Quinti, exposuerunt nomine communitatis se sentire gravatam ob ceram quae consumitur in associando sanctissimo Viatico ad supradictas animas de ratione Sancti Stephani extra, quapropter humiliter supplicaverunt ut archipraesbyter Sancti Stephani ipse cum suis cereis hoc Sacramentum ministret aut aliquid contribuat ad sublevandam communitatem ab hac expensa, cui non est obnoxia et ita et cetera. Quibus admodum reverendus archipraesbyter Sancti Stephani respondit eas animas oves esse sui ovilis paratumque se esse earum solicitam curam **[54]** gerere per se vel per sacerdotem a se delegandum et ita et cetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, his auditis, distulit decretum ad aliud tempus, ut ante se melius informet de situ et de modo quo necesse sit eiusdem animabus providere et ita et cetera, omni et cetera. Comparuerunt dominus prior et alii confratres societatis beatae Virginis Mariae a Pueritia, qui moniti fuerunt ut inveniant fundamenta onerum missarum, cum nesciant quot et quomodo missae ab ipsis sint faciendae celebrari.

Quibus auditis, spoponderunt quamprimum omni diligentia adhibita facturos ut huiusmodi fundamenta inveniantur eaque se exhibituros esse, ut pro sua auctoritate et conscientia sua illustrissima et reverendissima dominatio super his decernat. Nobilis dominus Flaminius Salernus de Rosinis, nomine societatis sanctissimi Sacramenti, se se omni reverentia exhibuit coram sua illustrissima et reverendissima dominatione et exposuit onera missarum et alia, quibus societas ipsa est obnoxia, adimpleri librosque videndos exhibuit ac suppellectiles, quatenus eidem dominationi placeret. Illustrissimus vero et reverendissimus praesul, cum suppellectiles in ecclesia expositas **[54^v]** viderit et recte res et bona societatis administrari ex fide dignis cognoverit, satis esse informatum dixit et eumdem dominum Salernum dimisit. Comparuerunt dominus prior et alii confratres sanctissimae Annunciationis beatae Mariae Virginis, humilime supplicantes ut, si quid a sua dominatione illustrissima et reverendissima admonendi sint pro cultu divino, dignetur ipsos admonere. Quos hortata est paterno affectu ut in sancto proposito religiose colendi Dei et beatae Mariae Virginis perseverent eisque suam benedictionem impartitus est. Subinde comparuerunt reverendus dominus Iacobus Ferrari, 80 annos natus, sacerdos capellanus oratorii Sancti Caroli cum mandato ad confessiones in ecclesia Sancti Stephani ad annum, die 26 ianuarii 1742 confirmato. Reverendus dominus Bernardinus Patirani, sacerdos bergomensis, ratione vero benefitii Sancti Zenonis de Celulis in cathedrali, subditus veronensis, aetatis suaee annorum 46. Reverendus dominus Floravans Alberti, sacerdos annorum 29, cappellanus cathedrali, ordinatus ad titulum cappellaniae Sancti Andreeae in collegiata Sanctae Helenae, quae cappellania nuncupatur divi Bonifacii de Cellulis. **[55]** Reverendus dominus Dominicus Tofalori, sacerdos annorum 30, ordinatus ad titulum sui patrimonii. Reverendus dominus Marcus Trevenzoli, sacerdos curatus huius parochiae annorum 56, cum mandato confessionum pro hac cura, ordinatus ad titulum perpetuae cappellaniae sancti Andreeae in hac parochiali ecclesia. Reverendus dominus Antonius Zandavel, sacerdos annorum 31 circiter, ordinatus ad titulum sui patrimonii. Reverendus dominus Antonius dalla Bona, sacerdos annorum 42 circiter, ordinatus ad titulum sui patrimonii. Reverendus dominus Sebastianus Botti, cappellanus cathedralis, ordinatus ad titulum officiaturae Carloti in collegiata Sanctae Helenae et officiaturae Baldini, sanctae Domus pietatis, aetatis suaee annorum 33, cum mandato ad confessiones in cathedrali die 29 maii 1741, ad annum confirmato. Reverendus dominus Carolus Fumane, sacerdos curatus aetatis annorum 73 circiter, cum mandato confessionis pro hac cura ad annum, die 24 mensis maii 1741 confirmato; ordinatus fuit ad titulum sui patrimonii. Reverendus dominus Franciscus Fumane, sacerdos annorum 39, cum mandato **[55^v]** confessionis pro hac cura die 26 ianuarii 1742, ad annum confirmato; fuit ordinatus ad titulum sui patrimonii. Reverendus dominus Stephanus Incatenati, sacerdos annorum 54, musicum cathedralis, ordinatus ad titulum cappellaniae domini Martini della Scala, cum ressidentia in dicta cathedrali. Reverendus dominus Carolus Caravivini, Orci sacerdos annorum 26 circiter, promotus ad sacros ordines ad titulum cappellaniae sancti Zenonis in ecclesia Sancti Iacobi ad Pineam Veronae. Reverendus dominus Carolus Zimengoli, sacerdos annorum 33, ordinatus partim ad titulum officiaturae Giusti ad altare sanctissimi Rosarii in parochiali Gadii et partim sui patrimonii. Reverendus dominus Bonaventura Secchi, sacerdos annorum 43 circiter, cum mandato pro hac cura extra et cetera, ubi curatus, quod mandatum confirmatum fuit ad annum die 17 februarii 1742; ordinatus fuit partim ad titulum officiaturae in oratorio Beatae Mariae Virginis Gretianae et partim ad titulum sui patrimonii. Reverendus dominus Augustinus Bagietta, sacerdos annorum 55, cum mandato confessionis pro cura Sanctae Mariae ad Clavicam die 10 iunii 1741, ad annum confirmato; ordinatus fuit ad titulum **[56]** sui patrimonii. Reverendus dominus Valentinus Bagietta, sacerdos annorum 27, ordinatus ad titulum sui patrimonii. Reverendus dominus Carolus Zanmonte, sacerdos annorum 54 circiter, ordinatus partim ad titulum sui patrimonii et partim officiaturae in ecclesia Sanctae Clarae Veronae. Reverendus dominus Marcus Silvestri, sacerdos annorum 38 circiter, cum mandato pro hac cura, die 4 novembris 1741, ad annum confirmato; ordinatus fuit ad titulum partim sui patrimonii in bonis maternis, partim officiaturae nobilis domini Avantii de Avantiis in ecclesia Sancti Bernardini et officiatarum Cristata et Passaglia in hac parochiali. Reverendus dominus Antonius Fasanoto, sacerdos annorum 41 circiter, ordinatus ad titulum cappellaniae ad altare beatae Mariae Virginis in parochiali Pressani tridentinae diaecesis, qui, postulatis eius mandatis et pubblicis documentis, asseruit ea deperdidisse. Reverendus dominus Bartholomaeus Merzari, sacerdos annorum 33 circiter, cum mandato pro hac cura, hodie ad annum pro utroque sexu **[56^v]** confirmato; ordinatus fuit ad titulum cappellaniae sanctorum Innocentium in hac parochiali Sancti Stephani. Reverendus dominus Iacobus Lovetto, sacerdos annorum 32 circiter, ordinatus ad titulum cappellaniae sancti Mauri in hac parochiali. Reverendus dominus Antonius Rosea, sacerdos annorum 31 circiter, cum mandato pro hac cura ad annum die 23 decembris 1741 confirmato; ordinatus fuit ad titulum simplicium beneficiorum clericatus nuncupatorum in pleibus Illasiorum, Colloniolae et Sancti Petri in Castro. Reverendus dominus Ioannes Baptista Vaona, sacerdos annorum 28 circiter, ordinatus partim ad titulum cappellaniae sancti

Ioannis Baptistae in parochiali Pischeriae et partim sui patrimonii. Nobilis et reverendus dominus Aloysius Zini iuris utriusque doctor, modernus sacerdos aetatis annorum 42 circiter, ordinatus ad titulum sui patrimonii. Reverendus dominus Fortunatus Pighi, sacerdos annorum 32, cum mandato pro cura Sancti Georgii, ad annum die 18 novembris 1741 confirmato; ordinatus fuit ad titulum sui patrimonii. Reverendus dominus Andreas Viola, sacerdos annorum 24, ordinatus ad titulum sui patrimonii. |57| Reverendus dominus Augustinus Vicentini, sacerdos cappellanus in cathedrali, annorum 52, ordinatus ad titulum cappellaniae sancti Theodori in cathedrali praedicta. Qui omnes et singuli suam illustrissimam et reverendissimam dominationem devenerati sunt et eorum respective mandata et publica documenta obtulerunt, quae fuerunt visa et praesentantibus restituta. Cum vero hora esset nimis properata, indicta die 4 aprilis 1742 pro continuatione sui tribunalis et visitationis, ad suum episcopale palatum reversus est. Die mercurii 4 aprilis 1742 mane. Reverendissimus dominus Petrus Antonius Albertinus pro vicarius generalis, una cum admodum reverendo domino magistro caeremoniarum, me protocancellario et reverendo domino Francisco Fumane, loco admodum reverendi domini archipresbyteri Sancti Stephani impediti et ex instantia dispensati, ad infrascripta oratoria ea visitaturus se contulit, ad quae iter fecit equitando, quatuor equis ad hoc ab admodum reverendo archipraesbytero praedicto extra urbem paratis et visitavit: publicum oratorium vulgo nuncupatum il Giesiol extra |57^v| [a margine: Giesiol] extra muros civitatis, in monte infra limites plebis Sancti Stephani existens, de ratione domini Iulii Balini emptoris bonorum, quae in hac contrata erant de ratione nobilium dominorum comitum de Guereris, cum quorum universitate cessum est etiam – ut asseritur – iuspatronatus super ipsum oratorium. In eo reverendus dominus Antonius Greco, sacerdos veronensis, missam celebrat qualibet sexta feria, stipe ducatorum 12 singulis annis eidem tradita a dicto domino Balini. Visitavit unicum altare quod est in eo oratorio, cum portatili et mensa marmorea recentissime constructa viditque non adimpletum fuisse ordinationibus gradonicis, quapropter ordinavit et decrevit ut in ordinatis, in fine huius visitationis registratis. Vedit parvam sacristiam, recenter a latere evangelii erectam, ubi vidit quatuor paramenta, unum album, alterum rubeum, tertium variorum colorum, quartum violaceum, duas albas et amictus, unum calicem cum sua patena aliasque suppellectiles decenter paratas pro sacrificio missae. Retulit dictus reverendus Greco alia existere paramenta domi, sed fere indecentia |58| et, facta ordinatione ut supra registrata, discessit. [A margine: San Mattia] Subinde perexit ad ecclesiam seu publicum oratorium Sancti Mathiae, de ratione venerabilis seminarii episcopalnis Veronae. In aedes propinquas et aderentes eidem se recepit, ubi longioribus se induit. Ingressus est ecclesiam et, praemissa oratione ac praeparatione, missam celebravit. Postea actis Deo optimo maximo gratis, doctrinae christiana vacavit, quae hic colitur et dependet a scola doctriæ christianaæ erectæ in plebe Sancti Stephani et visitator eiusque officia distribuuntur a superioribus scolæ Sancti Stephani, quam doctrinam, cum animi sui dolore, parum cultam invenit puellasque præsertimi minus instructas. Quare mandavit ut in ordinatis, in fine huius visitationis registratis. Dimissa doctrina, visitavit unicum altare ligneum cum portatili, sancto Mathiae apostolo dicatum, suppellectilibus provisum prout in inventario tradito a domino Caietano Paravisi, conductore domus et unius petiae terrae ac horti de ratione eiusdem seminarii, solvendo ducatos decem. Quae suppellectiles aliqua in parte fuere paratae a doctrina cristiana |58^v| ac piorum eleemosynis, custodiuntur vero ab officialibus huius scolæ doctrinae cristianaæ. Inspexit parvum tabernaculum ligneum, ubi custoditur sacra reliquia sancti Matthiae apostoli, in theca latea sigillata, cum ostensorio argenteo, sed sine documentis; nihilominus, cum suo sigillo sit munita et ex fide dignis testimoniis assertum fuerit donatam fuisse huic ecclesiae a quondam reverendissimo domino archidiacono Francisco Santilia, tunc temporis vicario generali et ab eodem gestatam in pubblica processione pubblicaque venerationi expositam, permisit et decrevit illam remanere in sua veneratione. Quae reliquia et clavis sub qua tuto modo in dicta custodia clauditur servantur a reverendo domino cappellano antedicto. Vedit confessionale, a latere evangelii altaris, quo utitur cappellanus qui in cura animarum coadiuvat admodum reverendum dominum archipraesbyterum Sancti Stephani. Retro altare vidit armarium ubi servantur paramenta, in praecitato inventario in fine huius libri reposito, descripta. Unica extat campana; habetur officiatura diebus festis ex donatione inter vivos domini comitis |59| Bartholomaei Maraviglia, cuius cappellanus est reverendus dominus Nicolaus Bovio, sacerdos veronensis, electus ab admodum reverendo domino archipraesbytero venerabilis plebis Sancti Stephani die 14 maii 1722, ut constat ex actu electionis exhibito. Instituta fuit haec officiatura die 15 octobris 1699, ut constat ex actu assignationis in actis domini Antonii Ferri notarii, a quondam nobili domino comite Bartholomaeo Maraviglia et assignata huic ecclesiae Sancti Matthiae, cum redditu ducatorum 36 super bonis stabilibus eius rationis existentibus in contrata Sancti Mathiae, cum obligatione cappellano celebrandi missas omnibus diebus dominicis et festis de praeecepto eisque aplicandi iuxta descriptam ibidem suam intentionem et insuper faciendi celebrari aliam missam in festo sancti Mathiae et aliam in festo sancti Bartholomaei nec non docendi, hora congrua, singulis

diebus festis doctrinam christianam pueros et puellas ac recitandi seu cantandi singula die sabbathi litanias beatae Mariae Virginis et psalmum De Profundis pro animabus purgantibus et versiculum Requiem et cetera pro dicto nobili domino institutore. Eligendi cappellatum facultatem concessit domino archipraesbytero pro |59^v| tempore Sancti Stephani, mandans ut sacerdos eligendus praeditus sit exemplari vita et honestis moribus caeterisque praeferatur ille sacerdos qui coniunctus futurus esset praedicto institutori usque ad quartum gradum, dummodo sacerdos esset dignus et bonis moribus, concedens eidem archipraesbytero facultatem removendi cappellatum quoties iste deesset conditionibus supradescritis. Praedictus reverendus dominus Nicolaus Bovio oneribus missarum omnino satisfacit per reverendum dominum Bonaventuram Secchi, ab ipso substitutum, a quo reverendo domino Secchi docetur etiam doctrina et preces iuxta supradictam ordinationem absolvuntur. Exigit praedictus reverendus dominus cappellanus ducatos 36 a venerabili domo sanctae Pietatis, quae successit haeres praedicti nobilis domini comitis Maraviglia, ut constat ex testamento eiusdem domini comitis diei 26 decembris 1701, in actis domini Antonii Ferro notarii. Extat pium legatum favore huius oratorii Sancti Matthiae, relictum a quondam nobili domina comitissa Francisca Altobelli vidua quondam praedicti nobilis domini comitis Bartholomaei Maraviglia, quod constat ex eius cedula testamentaria diei 12 iunii 1731, in actis domini Caroli Bernardi notarii, quo eius haeredes tenerentur solvere quotannis ducatos 12 |60| illi sacerdoti, qui esset cappellanus officiatura Maraviglia, ad hoc ut ex hoc fructu provideatur oleum ex quo ardeat lampas in eodem oratorio, si ibidem concessum fuerit servari sanctissimum, sacramentum Eucharistiae; sin vero ipsum Sacramentum non servetur, tot misae celebrarentur per dictum cappellatum quot respondeant viribus eiusdem legati. Eius haeredes capitale ducentorum ducatorum deposuerunt supra istum sanctum Montem pietatis die 2 septembris 1723 et ab eodem reverendo domino Nicolao Bovio cappellano praedicto ipsum capitale investitum fuit die 7 octobris 1734 super decimis et ratione decimandi spectantibus et spectante ad reverendos clericos plebis Ruperclarae in ratione quinque pro centenario, ut constat ex instrumento emptionis cum locatione eiusdem diei, in actis domini Caroli Bernardi notarii. Nunc temporis, cum nondum concessum fuerit in hoc oratorio sanctissimum Sacramentum, cappellanus tot celebrat vel celebrari facit missas quot iuxta vires reddituum decem ducatorum, qui nunc exiguntur, celebrari possunt |60^v| ad normam manualis eleemosynae triginta solidorum pro quaqua missa. Visitavit domum eidem ecclesiae adnexam, ut supra conductam a domino Caitano Paravisi, de ratione venerabilis seminarii. Quidam incolae vicini ecclesiae reverenter institerunt pro diligentiori, immo assiduiori, residentia reverendi capellani, ne in casibus necessariis et accidentariis desit animabus opportunum spirituale remedium et ita et cetera. Reverendissimus et cetera super hac instantia distulit in aliud tempus decernere quidquid et cetera tamquam in visitatione et ita et cetera. Et factis ordinationibus ut in ordinatis in fine huius registratis, hinc discedens se contulit ad visitandum infrascriptum oratorium. Receptus itaque a nobili domino Simone Pernis aetatis suae annorum 75 circiter, visitavit privatum oratorium in aedibus nobilis dictae familiae de Pernis, bene extructum et a domesticis usibus semotum, ubi vidit unicum tantum altare cum imagine beatae Mariae Virginis Assumptae, stuchi ornatum, cum portatili. Vedit quoque sacras suppelleciles pro sacro faciendo, recte tentas |61| et eleganter comparatas. Quibus absolutis, pro hac die suam visitationem absolvit et ad suam illustrissimam et reverendissimam dominationem reversus est, prandium sumpturus. Die 4 aprilis 1742 a prandio. Incepit tribunal in hac sua visitatione prossecuturus, illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, una cum reverendissimo domino provicario generali caeterisque ministris ac familiaribus suis, iterum ad plebem Sancti Stephani ut ante se contulit et, obsequenter ab admodum reverendissimo archipraesbytero cum suo clero exceptus, facta prius brevi oratione in ecclesia, in aedes parochiales se recepit et coram se pro tribunali sedente comparuerunt: reverendus dominus Zaccarias Coeli, sacerdos aetatis annorum 60 circiter, cum mandato pro cura Sancti Ioannis in Fonte, ad annum die 26 iunii 1741 confirmato; ordinatus fuit ad titulum sui patrimonii in bonis fratris et est cappellanus sanctae Domus pietatis Veronae. Nobilis et reverendus dominus Aloysius Stoppa, sacerdos annorum 48 circiter, ordinatus ad titulum sui patrimonii in bonis paternis. |61^v| Reverendus dominus Ioannes Baptista Viola, sacerdos annorum 30, ordinatus ad titulum sui patrimonii. Venerabilis clericus in minoribus Iulius Spina, filius Andree aetatis suae annorum 20 circiter. Venerabilis clericus Ioseph Alberti, in habitu accolytus cathedralis, aetatis suae annorum 17 circiter. Venerabilis clericus Iacobus Borgognoni filius Bartholomaei, in minoribus, accolytus cathedralis aetatis annorum 20. Venerabilis clericus Andreas Ferrari filius Ioannis, in minoribus ordinibus constitutus, aetatis suae annorum 22 circiter. Venerabilis clericus Franciscus Lizari filius Ioannis, in minoribus constitutus, accolytus cathedralis aetatis annorum 21 circiter. Venerabilis clericus Ferdinandus Leopoldus Carteri filius domini Hieronymi, in minoribus constitutus, aetatis annorum 22 circiter. Venerabilis clericus Ioseph Michael Bonvicini filius Ioannis Baptistae, in minoribus constitutus, aetatis annorum 21. Venerabilis clericus Ioannes Baptista

Polinari filius Thomae, in minoribus constitutus, accolytus cathedralis aetatis suae annorum 22. Venerabilis clericus Ignatius Baptista Vaona filius quondam Iacobi, subdiaconus **[62]** ordinatus ad titulum sui patrimonii, aetatis suae annorum 21. Venerabilis clericus in habitu Eucherius Donisi filius domini Evodii, accolytus cathedralis, aetatis suae annorum 16 circiter. Venerabilis clericus in habitu Ioannes Dominicus quondam domini Petri Antonii Larduzzi, accolytus cathedralis aetatis annorum 21 circiter. Venerabilis clericus Franciscus Lugobon filius Bartholomaei, in minoribus constitutus, accolytus cathedralis aetatis suae annorum 19 circiter. Venerabilis clericus Franciscus Antonius Berti filius quondam Caietani, in minoribus constitutus, accolytus cathedralis aetatis annorum 19. Venerabilis clericus Ioseph Mazzi filius quondam Antonii, in minoribus constitutus, aetatis suae annorum 20 circiter. Qui omnes suam illustrissimam et reverendissimam dominationem devenerati sunt et sua quisque mandata obtulit, quae visa, praesentantibus fuere restituta. [A margine: Vide infra pagina 91 tergo] Subinde comparuerunt Antonius Parisi prior et Franciscus Andreasi subprior societatis sanctissimi Corporis Christi, pro se et nomine Caietani Gerondelli cancellarii et, tamquam commissarii piae dispositiones infrascriptae dominae Franciscae Scotanelli, reverenter exposuerunt eorum societati addictum esse onus missarum, **[62^v]** proveniens ex codicillo quondam dominae Franciscae Scotanelli, uxoris quondam domini Caroli dalla Rizza diei 2 augusti 1692, in actis domini Antonii Seriati notarii, quem exhibuerunt et ex ignorantia aliquot annos integre id onus impletum non fuisse, ita ut ipsi, adhibita diligentia, cognoverint societatem eorum debere pro annis anteactis facere celebrari missas ad valorem librarum 1195 sed, cum societas modo non possit statim huic suo debito supplere eo quod redditus ipsos expenderint pro suppeditilibus, ceris et aliis huiusmodi iuxta eorum institutum, humiliter igitur supplicaverunt ut sua illustrissima et reverendissima dominatio dignetur decernere ut istud ipsius societatis residuum debitum in ratis solvatur, prout suae aequitati et conscientiae videbitur et ita et coetera. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, audita praemissa supplicatione, praecepit ut verus computus exhibeat ex quo relevetur debitum, resservans sibi vel eius reverendissimo domino provicario generali decernere quidquid et ita et cetera. Ostensum fuit privilegium pro confratribus defunctis societatis doctrinae christiana in die commemorationis omnium **[63]** Defunctorum, infra eius octavam et qualibet tertia feria cuiuslibet hebdomadae ad altare maius ad septennium datum Romae die 23 septembris 1735. Quo vero ad obstetrics, cum sint in suo munere impeditae, ad illas examinandas delegavit admodum reverendum archipraesbyterum. His peractis, inclinata iam die, ad suas aedes episcopales reversus est. Die 5 aprilis 1742. Praefatus illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus veronensis, cum suo reverendissimo domino provicario generali, ceremoniarum Magistro, me procancellario suoque comitatu, se contulit ad visitandam ecclesiam plebem nuncupatam Sancti Petri in Castro huius civitatis [a margine: San Pietro in Castello] in castro eiusdem Sancti Petri, infra limites parochialis ecclesiae Sancti Stephani antedicti positam, quae plebs etiam nunc habet clericos porcionantes seu portiones clericales et sunt modo simplicia beneficia ad numerum [manca]; non vero retinet curam animarum, ut antiquitus praefertur habuisse, eiusque rector ad huc in praesentiarum gaudet titulo archipraesbyteri et est de gremio sanctae congregationis Cleri intrinseci Veronae. Eo perventus, in castrum ingressum fecit per portam appellatam **[63^v]** Sucursus, per quam ingrediuntur excellentissimi pubblici rappresentantes, dum castrum ipsum visitant. Receptus fuit reverenter – militari pompa militia disposita et prope ipsam portam et ad medium viae et prope ecclesiam – a domino Antonio Fini, dicti castri gubernatore. Ad ecclesiam appropians, obsequenter occurserunt admodum reverendus archipraesbyter Sancti Stephani, cum parte sui cleri et admodum reverendus dominus Ioannes Baptista a Ritia, archipraesbyter nuncupatus huius ecclesiae Sancti Petri in Castro aetatis suae annorum 58, cuius familia iuspatronatum habet super hoc beneficio, ex acquisitione facta ab illustrissimo et reverendissimo domino nuncio apostolico Venetiarum, utpote de bonis quae possidebat venerabile monasterium Sancti Angeli Veronae, congregationis suppressae sancti Georgii in Alga per reverendum dominum Ioannem Dominicum Venerium, quod liquet ex instrumento diei 22 iulii 1671, in actis domini Stephani Rosatae, cancellarii nunciature apostolicae antedictae, vi cuius instrumenti huiusmodi iuspatronatus est laicale et spectat ad illos dalla Rizza et ad alios post eos descendentes, nempe ad descendentes domini Ioannis Dominici Cozza et post hos ad descendentes domini Caesaris de Vitalibus; demum, praedictorum linea masculina **[64]** deficiente, ad sacram congregationem Cleri intrinseci Veronae. Antedictus reverendus dominus Ioannes Baptista dalla Rizza ab anno usque 1703 benefitum hoc possidet, cum bullis episcopalibus diei 5 novembris eiusdem anni 1703. Porro illustrissimus et reverendissimus praesul ecclesiam ingrediens, facta aquae benedictae super populum aspersione, aspergillo accepto ab admodum reverendo archipraesbytero Sancti Stephani superpeliceo et stola induto oblato, ante altare maius genuflexus pias preces Deo fudit piamque pro celebranda missa praeparationem emisit. Sacerdotalibus indutus, missam celebravit. Subinde actis Deo gratiis, preces pro defunctis absolvit. His peractis, suae

visitationi incumbens visitavit altare maius ligneum cum portatili et icona rappresentante Coenam Domini, ac cum statua esculpta perantiqua sancti Petri, titularis ecclesiae. Manutenetur a clericis huius plebis et a reverendo archipraesbytero a Ritia, concurrente cum eius quarta parte suorum reddituum, quos percipit una cum clericis ex decimis aliisque proventibus consuetis eiusdem plebis. Idem archipraesbyter a Ritia asseruit teneri celebrare |64^v| missam singulis diebus festis, non tamen eam applicare ratione eius beneficii idque constare, ex praecitato instrumento acquisitionis, factae iurispatronatus huius beneficii ab antecessoribus eius familiae die 22 iulii 1671. Super quo ordinatum fuit ut in ordinatis, in fine huius registratis. An antedictus archipraesbyter a Ritia praedictas missas celebret, perquisitum fuit a domino Antonio Fini, gubernatore eiusdem castri, qui asseruit dictum archipraesbyterum celebrare et satisfacere. Altare sanctissimi Crucifixi, a latere evangelii altaris maioris, ligneum cum portatili et icona sanctissimi Crucifixi depicti, quod assertum fuit provideri a beneficiario, qui habet benefitium huic altari annexum, sed nescitur utrum ex proventibus eiusdem benefitii, an vero clerici huius plebis illi supeditent ad congruam provisionem. Suppellectiles, quae modo extant ad hoc altare et ornamenta, quae decenti forma sunt, reverendus dominus Angelus Lugiatus, ultimus possessor huius benefitii, ex sua pietate aere proprio paravit. Beneficiarius praesens est reverendus dominus pater Andreas Lugiati, clericus in minoribus ordinibus constitutus, congregationis Oratorii Sancti Philippi Nerii, qui praesentavit bullas apostolicas, |65| datas 11 kalendas Iulii 1741, executas ab illustrissimo domino vicario generali tamquam commissario et executor apostolico die 26 octobris 1741; quae, visae et recognitae, restituae fuerunt. Habet onus trium missarum singulis hebdomadibus, pro quo beneficiario celebrat reverendus dominus Ioannes Baptista dalla Rizza, archipraesbyter huius ecclesiae. Altare beatae Mariae Virginis nuncupatum de Carbonesiis, suspensum, in quo exercebat beneficium seu cappellania, cum obligatione celebrandi semel in hebdomada, ut descriptum fuit in visitatione gradonica anni 1718. [A margine: Vide infra pag. 116 tergo]. Quod beneficium possidet reverendus dominus Ioseph Sancassani, institutus cum bullis – ut asseruit – apostolicis; sed sicut altare ita et beneficium destitutum est redditibus, ut observatum fuit etiam in dicta visitatione, quin immo dominus archipraesbyter Sancti Stephani ibi praesens asseruit quandiligeatissime se paruisse ordinationi visitationis praefatae et nihilominus nihil reperiisse ex quo cognosci possint huiusmodi redditus vel eorum reddituum debitores, quod idem asseruit ipsem beneficiarius praesens. Super quo mandatum fuit ut in ordinatis, in fine huius registratis. Visitavit altare beatae Mariae Virginis de Pietate nuncupatum, anno 1725 |65^v| erectum et pietate et aere nobilis domini Antonii Bon, tunc temporis gubernatoris arcium; in quo altare ut sacrificium missae possit celebrari, concessit facultatem reverendissimus dominus Ioannes Franciscus Musellius, archipraesbyter cathedralis et tunc vicarius capitularis sede episcopali vacante, die 9 novembris eiusdem anni. Dotavit idem altare pietas eiusdem nobilis domini gubernatoris et quoddam capitale cessit sanctae congregationis Cleri intrinseci huius civitatis, cum oneribus manutenendi hoc altare de suppellectilibus et cereis ac faciendo celebrare plures missas singulis annis et statis diebus, cedens ius eligendi sacerdotem eidem sanctae Congregationi et protectionem ipsiusmet altaris nobili viro domino Ioanni Baptista Bon, patritio veneto et eius successoribus. Quae omnia descripta leguntur in tabula manuscripta in sacristia collocata et prout constat ex actu sacrae Congregationis praedictae diei 12 novembris 1734, exhibito a reverendissimo domino Michaele Angelo Caravana, archipraesbytero eiusdem sacrae Congregationis, in fine huius libri sub littera D posito. Officiatura huic altari inservit pro cappellano ipse reverendus rector archipraesbyter nuncupatus huius ecclesiae, electus - ut asseritur – a sancta Congregatione antedicta. Altare ipsum est marmoreum cum |66| portatili et imagine beatae Mariae Virginis in muro picta, sub crystallis custodito. Visitavit depositum cum inscriptione subitus in haec verba: “Hic requiescit in pace sanctae memoriae Verecundus episcopus. Supra hanc inscriptionem alia extat, scilicet: “ Hic requiescit in pace corpus sancti Verecundi epicopi MCCCLXXXIII”. In parte superiori huius depositi extat parvula porta ferrea, quae clavi claudi potest, subitus quam existit capsula ferre, a firmata ferreis cancellis et cordula serica aurei coloris colligata sigilloque illustrissimi et reverendissimi domini Francisci Trevisani, in cera rubra hyspanica impresso munita, quod sigillum intactum cognovit. In hac capsula asservantur fragmenta quaedam ossium sancti Verecundi, collecta auctoritate eiusdem illustrissimi et reverendissimi Trevisani, ut admodum reverendus archipraebyter Sancti Stephani et ipse rector archipraesbyter nuncupatus Sancti Petri testificati sunt. Subtus praedictam capsam intra idem depositum extant reliqua ossa corporis eiusdem sancti episcopi Verecundi. Quas reliquias mandavit in sua veneratione manere et insuper sub clavi tute custodiri, prout in ordinatis in fine huius registratis. |66^v| Visitavit aliud depositum, a latere evangelii altaris maioris situm, cum hac inscriptione inferiori eius in parte, videlicet: “Hic requiescit in pace sanctus Valens episcopus, qui vixit annos plus minus LXXXV et sed sit episcopatum 7 – menses 7 et dies XVII et recessit sub die VIII kalendas [...] stas] (= augustas?) et cetera”. In base dicti dicti depositi extat alia huiusmodi inscriptio: “Hic requiescit in pace

corpus sancti Valentis episcopi MCCCCLXXXIII". De hoc deposito et reliquiis eiusdem sancti Valentis hic pro repetitis habeto ea omnia quae dicta sunt de deposito sancti Verecundi episcopi et de capsa ferrea et de porta et de sigillo et ossibus, propterea quod de reliquiis et deposito sancti Verecundi episcopi mandavit: de reliquiis et hoc deposito sancti Valentis episcopo decrevit, scilicet reliquias eiusdem sancti episcopi Valentis in sua veneratione manere et sub clavi tute custodiri. Visitavit parvam et angustam sacristiam, positam contra altare sanctissimi Crucifixi et ibi sacras suppellectiles ac vasa sacra pro sacro faciendo, quam manuteneant clerici huius plebis, una cum archipraesbytero a Ritia, concurrente cum quarta parte ex suis redditibus. Qui reverendus archipraesbyter a Ritia, praesens **[67]** ostendit bullas antecitatas huius curiae episcopalnis diei 5 novembris 1703, quibus hoc beneficium eidem collatum fuit. Vedit confessionale mobile, in quo aliquis sacerdos delegatus ab admodum reverendo archipraesbytero Sancti Stephani aliquando, prout eidem melius videtur, confessiones sacramentales excipit; de quo, cum indecens omnino sit et in forma contraria ritibus ecclesiae, ordinavit prout in ordinatis, in fine huius visitationis registratis. Vedit demum totam ecclesiam et, sua visitatione absoluta, ad castrum Sancti Felicis iter fecit, ubi [a margine: San Felice] exceptus militari ordine et honore a domino maiori Molinetti, deficiente eiusdem castri gubernatore, visitavit ecclesiam seu oratorium, in dicto castro infra limites plebis Sancti Stephani erectum. Unicum extat altare, in mensa marmoreum cum portatili, in quo missas celebrat singulis diebus festis de pracepto reverendus dominus Antonius Rosea loco reverendi domini Bernardini Pativani, cappellani electi et deputati ab excellentissimo senatu, cum ducalibus serenissimi ducis, stipe assignata – ut assertum fuit – ducatorum decem pro quoque mense. Oratorium et altare manuteneant a pietate serenissimi principis. **[67]** Nullum vedit tabernaculum pro asservando sanctissimo Sacramento; nam, quando opus est confessionis et communionis sacramenta ministrare, vel accedunt milites incolae in hac arce ad plebem Sancti Stephani, vel ipsis ministrantur haec sacramenta a sacerdote ab archipraesbytero deputato; in quibus sacramentis praestandis idem archipraesbyter praesens fassus est non deficere et suo muneri satisfacere. Vedit sacristiam et sacras in ea suppellectiles servatas ac vasa sacra, de quibus ordinavit ut in ordinatis, in fine huius registratis. Quibus habitis, ad suum episcopale palatium reversus est. Die 7 aprilis 1742. Coram et cetera comparuit reverendus dominus Bonaventura Corfini sacerdos aetatis annorum 78 circiter, ordinatus ad titulum sui patrimonii et, postulata venia eo quod non comparuerit die 2 currentis mensis, asserens hoc ex insicia evenisse postulataque venia obtenta, obsequenter praesentavit mandata suorum respectivie ordinum, quibus visis et restitutis, fuit dimissus. **[68]** [A margine: San Carlo] Die 8 aprilis 1742 illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, suam pastoralem visitationem plebis Sancti Stephani et ecclesiarum infra limites eiusdem plebis sitarum prosequens, hac die personaliter, suis familiaribus ut ante, comitatus iter fecit ad simplicem ecclesiam Sanctorum Caroli et Annae, infra limites dictae plebis Sancti Stephani erectam, de ratione confraternitatis sub titulo ipsiusmet Sancti Caroli ibi institutae. A confratribus humilime exceptus, ecclesiam ipsam ingressus est, aspergillo de more accepto in limine ecclesiae ab admodum reverendo archipraesbytero Sancti Stephani stola et cota induto illud offerente, honoratus tympanis, tubis et organis. Ad altare maius in genuflexorio parato oravit et pro sacro faciendo piam praeparationem emisit. Sacerdotalibus paramentis induit, sacrosanctum missae sacrificium inter frequentes symfonias fecit. Actis subinde Deo optimo maximo gratiis, suae pastorali visitationi incumbens visitavit: altare maius, divo Carolo et divae Annae dicatum, ligneum stuchis perpolite ornatum cum portatili, quod, cum nimis **[68]** sit depresso, mandavit paulisper attolli et nova tela cerata cooperiri. Hoc altare manuteneant de omnibus a praedicta confraternitate et est decore provisum. Hic nullum extare beneficium assertum fuit. Confraternitas tamen habet onus faciendi celebrari ad idem altare quasdam missas descriptas in pagella, typis edita, inscripta "Obblighi per il reverendo cappellano di San Carlo", scilicet duas missas singulis hebdomadibus, aliam singulis octo mensibus anni applicando intentionem iuxta obbligationem confraternitatis et praeterea tenetur dictus cappellanus missam celebrare et applicare et die qua confraternitas procedit processionaliter ad beatam Virginem Mariam in Campanea et alia die, qua procedit ad ecclesiam Sancti Francisci in Cittadella. Ad idem tenetur in die commemorationis Omnium Defunctorum. Tenetur quoque caeteris diebus festis celebrare, non vero applicare intentionem. Pro quibus omnibus aliisque in eadem pagella descriptis recepit a venerabili confraternitate singulis annis ducatos quadraginta de grossis 31 et praeterea habitat in domo contigua ecclesiae de ratione eiusdem confraternitatis et fruitur horto contiguo, **[69]** ex testamento quondam excellentissimi illustrissimus doctoris domini [manca] diei 20 septembris 1728, in actis domini Ioannis Baptistae Seriati notarii. Confraternitas ipsa habet onus faciendi celebrare quotannis quatuor missas, diebus scilicet ultima sexta martii, die festo sanctae Annae, sancti Caroli et sancti Ambrosii, cum assignatione capitalis pro quo benedictus Baseni hebreus solvit annuatim tronus sexdecim. Ex alio testamento quondam domini Francisci de Zenatis 28 ianuarii anni 1730, in actis domini Hiacynthi Moretti notarii habet onus ipsa

confraternitas faciendi celebrare missas ex fructibus quorumdam capitalium in eo testamento descriptorum, confratrum conscientiae se remittens quo ad numerum missarum celebrandarum, detractis oneribus sacristiae; quod onus pro eorum conscientia, utentes ea libertate quam sibi impartitus est testator, sic reduxerunt ut pars quinta reddituum huiusmodi inserviat pro sacristia et aliae quatuor partes quintae adictae sint pro eleemosinis missarum, prout in parte ab ipsis capta die [manca]. Has missas celebrat reverendus dominus Iacobus Ferrari, confraternitatis **[69^v]** cappellanus et rationem reddit ipsi confraternitati; quot annis suis adimplevisse oneribus non modo facile constat ex libro missarum, in quo se ipse describit, sed etiam ex testimonio domini Antonii Seriati prioris et aliorum confratrum fide dignorum. In eo altari, diligenter custoditum, vidit biretum cardinalitium rubrum sancti Caroli in reliquiario argenteo elaborato servatum, quod est magnae devotionis et venerationis. Religiouse quoque servantur duodecim epistolae subscriptae manu eiusdem sancti Caroli, inter quas una legitur diei 19 aprilis 1582, ubi in eius calce sua quoque manu sanctus Carolus praeter subscriptionem quinque lineas exaravit. Hae litterae in codice sunt unitae veluto rubro cooperto et ornato ornamentis ex metallo inaurato, in cuius frontispicio haec leguntur: "Albertus Valerius, optimus Veronae pontifex, hoc nos beavit munere V idus aprilis 1615. Sodales sancti Caroli veronenses grati, addicti, devoti, magnanimitati eius et amplitudini posuerunt". Ostenderunt confratres processum inscriptum foris: "Testimonii essaminati sopra i miracoli della santa bereta di san Carlo", in **[70]** forma autentica et legali scriptum anni 1618. Ostensum fuit pariter cattinum ex terra vulgo magiolica cum stemente sancti Caroli, quod fertur ex traditione eidem sancto Carolo inservisse. Quas reliquias, attenta traditione constanti perantiqua et miraculis ac gratis prout in processu, ea qua decet pietate deveneratus est et in sua veneratione reliquit. Habet altare iconem cum imaginibus beatae Mariae Virginis eiusque sanctissimi Infantis, sanctae Annae sanctique Caroli, depictum a celeberimo pictore Carolo Rodolfo; a lateribus eiusdem altaris duae magnae tabulae extant, charitatem sancti Caroli tempore pestis mediolanensis repraesentantes, depictae ab insigne pictore Bigolaio. Visitavit altare sanctae Annae cum portatili, cuius sepulcrum invenit fractum; ideo mandavit de novo portatili provideri. Manutenetur de omnibus ut supra a confraternitate nullumque pariter hic extare benefitium neque officiaturam assertum fuit. Icon eiusdem altaris representat misterium beatae Mariae Virginis ad templum comitatae a sancta Anna eius matre estque opus depictum a Cittadella seniore. **[70^v]** Visitavit altare sancti Rochi, cum portatili et iconem depicto repraesentante sanctam Mariam Magdalenam pedibus Salvatoris Domini nostri obvolutam eosque ungentem; fuit depictum a celeberima manu estque magni pretii et estimationis. Hoc altare est similiter de omnibus manutentum a confraternitate. sine oneribus officiaturarum. Ibi vidit imaginem seu parvam statuam sancti Rochi, ex argento confectam, quam fertur fuisse oblatam temporis pestis anno 1571. Retro altare maius visitavit chorum seu oratorium, cum suis sedilibus ligneis, ubi confratres huius societatis conveniunt omnibus diebus festis ad recitandum officium beatae Mariae Virginis aliasque preces iuxta eorum institutum, ubi quoque vidit altare cum portatili pro sacro faciendo, bene tentum. Haec confraternitas instituta fuit anno 1613, cum decreto episcopali, aggregata archiconfraternitati sanctorum Ambrosii et Caroli de Urbe, cum diplomate viso et approbato a tunc temporis vicario generali episcopali die 11 octobris 1613, quae temporibus antedictis gavisa fuit protectione illustrissimorum et reverendissimorum dominorum **[71]** episcoporum eaque in praesentiarum gaudet illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi Ioannis Bragadeni. Confratres implent numerum 42 et induunt capas laneas violacei coloris, super quas gestant capucium rubri coloris et pileum gerunt violaceum panno sericum foderatum rubri coloris. Regitur et gubernatur iuxta regulas eiusdem confraternitatis, cuius officiales per annum in officio durant. In eodem choro expositas vidit sacras suppellectiles, inter quas nonnullas praeciosiores, bene tentas ac custoditas. Inter vero vasa sacra vidit pixidem qua utitur cappellanus pro communicandis confratribus et extat ostensorium argenteum, bene tentum, in quo exponitur Sacramentum sextis feriis mensis martii occurrentibus quadragesimali tempore, de licentia admodum reverendi archipraesbyteri Sancti Stephani, qui ipsem benedicit. Vedit totam ecclesiam, eleganter constructam, stuchis auro aliqua in parte linitis variisque picturis ornatam ac perpolite paratam et tentam. In qua visitavit confessionale mobile bene tentum, ubi cappellanus confraternitatis **[71^v]** - ut asseruerunt praedicti dominus prior et confratres - excipit confessiones sacramentales consororum, de licentia praedicti domini archipraesbyteri Sancti Stephani. Venit ad oratorium contiguum sub titulo Sanctae Annae, quod visitavit, cum unico altari quod extat cum portatili. Huc adolescentes conveniunt omnibus diebus festis ad recitandum officium beatae Mariae Virginis, quibus preeest confrater confraternitatis sancti Caroli, ab ipsa confraternitate deputatus, cum titulo magistri novitorum. Hoc oratorium nullos habet redditus, sed decenter manutenetur ab ipsa confraternitate sancti Caroli. Sacristia habet redditus speciales ex pia dispositione quondam domini Ioannis Antonius Lavezarii diei 18 februarii 1694, in actis domini Dominici Moretti notarii, quos summa fide ad usum eiusdem sacristiae impendi constat. Ex eodem

testamento confraternitas habet onus faciendi celebrare officium quinquaginta missarum quotannis prima die non impedita post festum sancti Caroli, cui obligationi omnino satisfit. Demum cum De Profundis suam visitationem absolvit, confratrum ^[72] pietate laudata, ob quam pauca tantumodo ordinanda invenit, in fine huius cum caeteris ordinatis registrata. Porro ipsis confratribus multa deveneratione gratias agentibus benedixit et ad infrascriptum oratorium perexit. [A margine: San Gregorio] Appropians ad dictum oratorium Sancti Gregorii, militari honore deveneratus est a militibus ibi habitantibus. Exceptus vero ab admodum reverendo archipraesbytero Sancti Stephani cota et stola induito, aspergillum offerente et a confratribus sanctae Mariae de Suffragio, de cuius confraternitatis ratione est oratorium ipsum, oratorium ingressus est et ante altare maius paulisper oravit. Hoc oratorium extat apud Terralium infra limites plebis Santi Stephani, in quo viget confraternitas antedicta sanctae Mariae de Sufraggio. Visitavit altare maius marmoreum, statuis quoque marmoreis ornatum, quarum una a latere evangelii representat imaginem sancti Gregorii, altera representat imaginem huius confraternitatis institutum designantem; ex quo instituto confratres animabus in purgatorio existentibus suis precibus et suffragiis piam operam ferunt. In medio ^[72v] altaris sub cristallis custoditur imago beatae Mariae Virginis ex ligno sculpta, indumentis decore vestita, sub quam aliam vidit imaginem pariter ex ligno sculptam sancti Gregorii, sed cum satis sit unam eiusdem sancti in hoc altari venerari imaginem, hanc iussit amoveri, prout in ordinatis in fine huius libri legitur. In eodem altari extat tabernaculum marmoreum pro reponendo sanctissimo Sacramento, canonice erectum et iam benedictum ab admodum reverendo domino Hieronymo Pativani archipraesbytero Sancti Stephani, delegato ad id ab illustrissimo et reverendissimo tunc temporis episcopo Ioanne Francisco Barbadico. Sanctissimi Sacramenti expositio hic fit per Quadraginta Horas in quatuor anni temporibus et die dominico infra octavam defunctorum ac aliquando aliis temporibus, de licentia huius curiae episcopalnis ac supradicti domini archipraesbyteri Sancti Stephani. Haec confraternitas est perantiqua suisque regitur regulis et capitulis, alias iam approbatis et est aggregata archiconfraternitati sanctissimi Suffragii de Urbe, cum diplomate diei primae iunii 1615, vi cuius aggregationis multis fruatur ^[73] spiritualibus gratiis et indulgentiis. Eadem confraternitas plura habet onera missarum, prout constat ex tabula manuscripta quae servatur in sacristia, quibus oneribus satisfaciunt reverendus dominus Franciscus Brazzi, reverendus dominus Dominicus Gasparini, reverendus dominus Ioannes Andreas Rossius, reverendus dominus Franciscus Bussola, prout constat ex ratione quam reddunt ipsi confraternitati et ex libris sacristiae; nam singuli ipsi sacerdotes manu propria in respectivis singulis libris, ostensis et observatis, missas celebratas describunt. Inter missarum legata, legatum quondam Antonii Antonini missarum octuaginta non adimpletur, eo quod capitale ad hoc relictum, quod ipsem Antonini vivens investivit in personis et bonis dominorum Comenzonum, huc usque aparuit inexigibile. Vedit quoque in dicto altari collocatum parvum ostensorium argenteum cum pede ex cupro aurato, ubi extat reliquia sanctae Ceciliae virginis et martyris, sigillata sigillo illustrissimi et reverendissimi domini domini Francisci Trevisani episcopi veronensis, ab ipso recognita die ^[73v] 9 februarii 1727, cum instrumento autentico exhibito et restituto. Visitavit altare sancti Stephani, alias sanctae Annae, a quondam domino Stephano Cozza, confratre huius confraternitatis suo aere aedificatum et officiatura dotatum quindecim missarum annuatim, prout constat ex eius testamento diei 16 septembribus 1717, in actis domini Flaminii Corfini notarii, cui oneri – ut superius dictum est de coeteris – satisfit per ipsam confraternitatem. Altare vero est constructum ex marmoribus collustratis, cum portatili et est bene tentum ac de omnibus bene provisum. Visitavit altare nuunc sub titulo sanctissimi Rosarii, olim sub nuncupatione sanctae Catherinae, cum portatili, pariter bene tentum et ornatum, cuius portatile mandavit firmari. Visitavit cappellam adhaerentem lateri ecclesiae a cornu evangelii, quae olim erat oratorium sub eadem nuncupatione sanctae Mariae a Suffragio, modo vero sub titulo sancti Ioseph, in quam convenient adolescentes ad persolvendum officium mortuorum et aliquibus diebus festis officium beatae Mariae Virginis, quibus praesidet unus ex confratribus cum titulo prioris novitiorum. Sunt ad praesens in catalogo descripti qui capaces sanctissimae Communionis ^[74] sunt numero 43; qui vero nondum sanctissimo sacramento Eucharistiae communicant numero 15. In ipsa cappella unicum vedit altare cum portatili, bene tentum et provisum. Exhibuerunt diploma ad septennium indulgentiae plenariae visitantibus hoc oratorium die festo sancti Ioseph concessae, visum et publicationi mandatum in hac curia episcopali die 10 iunii 1738. Ad oratorium confratrum reversus, per scalam ascendit et ingressus est in locum superiore, ubi confratres in catalogo descripti ad numerum 76 praeter confratres quamplurimos privilegiatos convenient diebus festis, preces offerentes pro defunctis iuxta eorum institutum, ex quo tenentur sacram communionem sumere saltem quatuor in anno ita ut, si huic operi pietatis deficiant, ex albo confratrum deleantur. Religiose vero omnes huic obbligationi non modo satisfaciunt sed frequentius hoc Sacramento reficiuntur. In eodem loco visitavit altare cum portatili, bene tentum, quod, prout caetera altaria ac idem oratorium, manutenet ^[74v] de omnibus ipsam confraternitas. Vedit et visitavit armarium in

loco contiguo eidem suprarecensito superiori loco, ubi servantur et custodiuntur fundamenta, scripturae et libri ad hanc confraternitatem spectantes, quae omnia laudabili diligentia sunt digesta et custodita. Visitavit sacrarium inferiorem seu in loco inferiori, a latere epistolae dicti oratorii existentem, in qua erant expositae cappae lineae albi coloris quibus induuntur confratres, super eas gestantes capucium nigrum laneum et pileum nigrum pendens ab humeris sicque induuti tenentur ex voto singulis annis processionaliter visitare die dominico infra octavam mortuorum cathedralem ecclesiam et eius septem altaria. Ibi quoque vidit et visitavit paramenta et vasa argentea ac suppelleciles praeciosas, ex quibus confratrum pietas maxime eluet. Vedit duos loculos in sacristia, in quibus apparent duo confessionalia et, interrogatus reverendus cappellanus utrum ibi excipiantur sacramentales mulierum confessiones, respondit aliquando exceptas fuisse; quod, cum dissonum sit, id vetuit et decrevit prout |75| in decretis et ordinatis, in fine huius libri registratis. Guardiani aliquique confratres antedictae confraternitatis, scilicet dominus Blasius Zambelli primus guardianus, dominus Antonius Guarnerius secundus guardianus et Antonius Lombardus tertius guardianus, reverenter exposuerunt quandam reverendum dominum Christophorum Benella de Laudi, inter caetera, suo testamento diei 23 ianuarii 1709 in actis domini Antonii Seriati notarii legasse huic confraternitati duo vascula argentea ponderis unciarum viginti duarum circiter, prout appetit in inventario mobilium confraternitatis diei 12 februarii 1726, ostento et restituto, ad hoc ut inservirent oratorii et altarium ornamento; nunc vero tratu temporis ipsa vascula inutilia reddita esse: rupta enim et deformia conspicuntur; propterea humilime supplicaverunt suam illustrissimam et reverendissimam dominationem ut suo decreto dignetur concedere ex iisdem vasculis alioque argento quod pietas confratrum colligit, conflare unam lampadem pro eorum ecclesia et ita et cetera. Qua supplicatione audita, idem illustrissimus et reverendissimus praesul, ipse |75| benigne annuit decrevitque vascula illa argentea, ut ante legata, converti ac fundi posse, prout supplicatum fuit, in unam lampadem pro ornato dictae ecclesiae et ita et cetera, omni et cetera. His peractis factisque ordinationibus, in fine huius libri descriptis, suam pastoralem visitationem cum De Profundis in ecclesia recitato clausit. [A margine: Beata Maria Vergine del Terraglio] Postea accessit ad aediculam beatae Mariae Virginis a Terralio nuncupatam prope moenia civitatis infra limites plebis Sancti Stephani existentem, ubi collitur imago eiusdem beatae Mariae Virginis in muro depicta, quae celebris est in hac civitate ob devotorum pietatem et concursum, ut ex tabelis et donariis votis etiam argenteis circum ipsum altare apensis, appetit. Extat ibi altare marmoreum in mensa cum portatili, manutentum et provisum a domino archipraesbytero Sancti Stephani ex oblatis piorum eleemosynis, quas ipse accipit et custodit. Huic altari addicta est officiatura, quam instituit nobilis Bernardinus Supinus nolanus anno 1650, ut patet ex inscriptione in marmore nigro incisa et muro confixa eiusdem aediculae, pro cuius officiaturae dotatione extat et muro confixa eiusdem aediculae, pro cuius officiaturae dotatione extat capitale ducatorum 250, cuius redditus modo |76| sunt librarum 46.10, cum onere celebrandi missam singulis diebus sabbathi, prout ex dicta inscriptione et diebus festis beatae Mariae Virginis. Idem capitale investitus fuit ab ipso nobili domino Supino in reverendum clerum, a quo etiam nunc temporis fructus exigitur. Interrogatus dominus archipraesbyter antedictus an integre et per quem sacerdotem huic oneri satisfiat, respondit se exigere redditus praedicti capitalis et, cum non sufficient ad huiusmodi onus integre implendum, hucusque iuxta vires reddituum in sabbathis tantummodo missas celebrasse, vel celebrari fecisse. Super quo sua illustrissima et reverendissima dominatio mandavit ut in ordinatis in fine huius libri registratis, scilicet termino unius mensis dictum dominum archipraesbyterum docere habere de vera quantitate capitalis et reddituum, ad hoc et cetera et ita et cetera, omni et cetera. Vedit alud altare in parte superiori eiusdem aediculae cum portatili ligneum, pariter beatae Mariae Virgini dicatum, in quo nulla extat officiatura et illud manutenet, et providet supradictus dominus archipraesbyter ex piorum eleemosynis. |76| Visitavit sacrarium, in qua nulla vidit paramenta; nam dominus archipraesbyter asseruit se paramenta opportuna mittere quotiescumque occurrit sacram fieri. Quo considerato et perpenso, etiam quod descriptum legitur in visitatione gradonica, in primis suspensa declaravit paramenta, si quae adhuc existant, quae in eadem visitatione vetusta et lacera describuntur; subinde mandavit ut ex eleemosnis quantotius fieri poterit aliquod vel aliqua paramenta ab eodem archipraesbytero provideantur, prout in ordinatis in fine huius, quibus et cetera. Ad custodiam huius aediculae invigilat eremita Augustinus Basso de Colonia, aetatis suae annorum 40 circiter, gestans habitum heremiticum Sancti Augustini, qui monitus fuit prout in dictis ordinatis, quibus et cetera. His habitis, ad suum episcopalem palatium reversus est. Die 8 aprilis 1742 a prandio. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus cum suo comitatu iter ut ante fecit ad visitandam ecclesiam et hospitale pii Loci Mendicantium, infra limtes praedictae |77| parochialis ecclesiae seu plebis Sancti Stephani. [a margine: Mendicanti] Quo per ventus, obvios habuit nobiles dominos Franciscum Mariam comitem Montenari priorem [manca] Alberti et excellentem nobilem doctorem Iulium Campaneam, suam

illusterrimam et reverendissimam dominationem devenerantes, exceptus vero humillime ab admodum reverendo domino archipraesbytero Sancti Stephani cota et sola induo aspergillum offerente ingressus est ecclesiam et, facta paulisper oratione, pontificalibus indutus fuit et sacramentum Confirmationis nonnullis utriusque sexus christifidelibus, qui ad hoc huc pervenerunt, et alumnis eiusdem pii Loci ministravit. Hoc dum praesul ageret, reverendissimus dominus provicarius generalis visitationi altarium incubuit et visitavit: altare maius, sanctae Ursulae et eius sociabus dicatum, ligneum, in mensa tamen marmoreum cum portatili, ut ante bene tentum et de omnibus providetur ac manutentur a dicto pio Loco. Altare sub nuncupatione pauperum Christi marmoreum cum portatili, ut ante bene tentum et a pio |77| loco de omnibus provisum. Altare sub nomine sanctissimae Conceptionis beatae Mariae Virginis, ex marmoribus contractum cum portatili, ab odem pio Loco, prout tota ecclesia, de omnibus provisum et manutentum. Huius ecclesiae et pii Loci cappellanus est ad praesens reverendus dominus Carolus Fumane, qui habet onus quotidie celebrandi in dicta ecclesia hoc ordine, scilicet in sextis feriis ad altre pauperum Christi, in sabbathis ad altare beatae Mariae Virginis, caeteris vero diebus ad altare maius, stipe percepta singulis annis ducatorum nonaginta a dicto pio Loco, cum obligatione tamen etiam audiendi sacramentales confessiones alumnarum in dicto pio Loco eisque sacram Synaxim ministrandi, de licentia antedicti domini archipraesbyteri. Haec missa quotidiana celebratur pro adimplendis pii legatis, in tabella in sacristia servata descriptis. Retro altare maius visitavit sacristiam et ibi suppellectiles et vasa sacra, de quibus est satis provisum; ordinavit vero prout in ordinatis in fine huius libri descriptis. Vedit sacram reliquiam ex ossibus sanctae Ursulae, patentibus litteris |78| episcopalibus diei 5 decembris 1738 munitam. Vedit breve apostolicum ad septennium indulgentiae plenariae in festo sanctissimi nominis Iesu et aliarum indulgentiarum in dominica quinta Quadragesimae, in dominica Pentecostes et in festo sanctae Ursulae visitantibus hanc ecclesiam, visum et executioni demandatum ab hanc curia episcopali die 23 maii 1736. Vedit in angulo sacristiae et visitavit confessionale, pro puellis alumnis, ubi sacramentales confessiones excipiuntur a supradicto reverendo domino Carolo Fumane, qui est curatus plebis Sancti Stephani, de licentia eiusdem domini archipraesbyteri, quod confessionale est bene tentum. Ecclesiae absoluta visitatione et peracta ab illusterrimo et reverendissimo domino domino episcopo Confirmatione, hospitale ingressus est illudque loca lustrando visitavit ac puellas hic educandas ad numerum 78, ultra pueros numero 19, de doctrina christiana per varias interrogationes expertus est omniaque bene procedere cognovit. Comendato itaque plurimum in Domino sancto doctrinae christiana opere, impartitaque |78| eius benedictione, discessit, plurimis a prefatis nobilibus suae illusterrimae et reverendissimae dominationi gratiis redditis. [A margine: Derelitti] Subinde venit ad ecclesiam pii Loci derelictorum, ut supra infra limites parochialis ecclesiae Sancti Stephani positam; reverenter exceptus fuit a nobili domino Leone Aleardi priore aliisque nobilibus viris et gubernatoribus eiusdem pii Loci nec non ab admodum reverendo archipraesbytero Sancti Stephani, qui in ingressu ecclesiae, stola et cota indutus, aspergillum de more obtulit. Vix ecclesiam ingressus est et illico puellae, quae hic aluntur modo ad numerum 23, ultra pueros ad numerum 17, in earum spiritualis laetitiae signum in choro musicali concentu Te deum decantarunt. Porro facta brevi oratione, pontificibus indutus Confirmationis sacramentum aliquibus utriusque sexus fidelibus huc adventis et aliis hic alumnis ministravit. Hoc interim reverendissimus dominus provicarius generalis, visitationi insistens, visitavit altare maius, sub invocatione sanctae Mariae nuncupatae a Lilio, ligneum sed in mensa marmoreum cum |79| portatili. Quotidie hic celebrat reverendus dominus Franciscus Fumane, sacerdos electus et deputatus ad dictam officiaturam, pro oneribus adimplendis dicti pii Loci, ab eiusdem gubernatoribus, stipe statuta ducatorum nonaginta singulis annis, obligatione tamen eidem imposta sacramentalem confessionem et sacram communionem ministrandi alumnis dicti pii Loci nec non eos (ex charitate tamen) docendi de doctrina christiana, ex consensu et licentia admodum reverendi archipraesbyteri Sancti Stephani antedicti. Altare sanctae Tuscanae, recenter ad meliorem formam restauratum, cum icona ac portatili, quod, cum sit depresso et rimulis circumdatum, illud mandavit paulisper extolli, firmari ac in rimulis obturari, prout in ordinatis in fine huius libri registratis. Altare beatae Mariae Virginis sanctissimi Rosarii, cuius incepta est restauratio, sed nondum absoluta est que novo icona ornatum, sed in mensa nondum est completum ideoque in eo non celebratur. Supradicta tria altaria ac tota ecclesia est de omnibus |79| provisa et manutenta a pio Loco praedicto suntque omnia bene tenta. Visitavit sacristiam adnexam, a latere epistolae altaris maioris et in ea sacras suppellectiles vasaque sacra, de quibus est satis provisum. His habitis, illustrissimus et reverendissimus praesul domum dicti pii Loci seu Hospitale ingressus est illudque eiusdemque loca visitavit ac puellas alumnas de doctrina christiana expertus est, quas bene instructas invenit omniaque recte procedere cognovit, ex vigilantia et pietate nobilis domini prioris et gubernatorum, quam ac praecipue pium opus doctrinae christiana plurimum in Domino comendans, impartita benedictione, discessit, reverenti gratiarum actione a dictis gubernatoribus cumulatus.

[A margine: Sant'Alessio. A questo punto è inserito un foglio volante di quattro facciate, contenente la mala copia della visita a Sant'Alessio, che segue] Deinde suam prossequendo visitationem, ad oratorium Sancti Alexii perexit, quod est situm infra limites parochialis ecclesiae seu plebis Sancti Stephani, de ratione confraternitatis sub eodem sancti Alexii nomine ibi erectae, a cuius priore et confratribus fuit obsequentissime receptus |80| nec non ab admodum reverendo archipraesbytero Sancti Stephani aspergillum, cota et stola induito, suae illustrissimae et reverendissimae dominationi ecclesia ingredienti offerente. Ante altare maius in genuflexorio parato aliquantulum pias Deo preces fudit. Postea visitavit altare maius, ex marmoribus constructum, in cuius medio est statua marmorea sancti Alexii; a latere evangelii statua item marmorea sancti Barnabae; a latere epistolae statua marmorea sanctae Concordia. Est cum portatili, bene provisum a confraternitate, de omnibus manutentum. Ibi vidit tabernaculum marmoreum – ut fertur – una cum altare ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo Gradonico benedictum, in quo reponitur ostensorium cum sanctissimo Sacramento quando fit expositio eiusdem, de licentia domini archipraesbyteri, diebus scilicet sancti Alexii et Nativitate beatae Mariae Virginis. Porro dominus Ignatius Rosatus prior et confratres eius humiliter supplicaverunt ut sua illustrissima et reverendissima dominatio dignaretur eamdem facultatem exponere |80'| faciendi sanctissimum Sacramentum suprarecensis duobus diebus impertiri atque elargiri, sine tamen praeiudicio iurum parochialium et ita et cetera. Cui supplicationi illustrissimus et reverendissimus praesul benigne annuit et concessit ac impartitus est petitam licentiam praenarratis duobus diebus sanctissimum Sacramentum in hac ecclesia exponendi, de licentia tamen reverendi archipraesbyteri et sine praeiudicio eiusdem iurum parochialium et ita et cetera, omni et cetera. Dicto altari nulla adicta est officiatura; nam legata ad quae tenetur haec confraternitas, prout descripta sunt in tabella manuscripta in sacristia apensa; nulli altari applicata fuerunt a testatoribus quae sunt huiusmodi, videlicet: ex legato quondam domini Petri Trentossi eiusque familiae, missae novem mense octobris, quod constat ex testamento diei 18 septembbris 1622 in actis domini Ioannis Baptistae Bagatta notarii. Ex legato quondam domini Benedicti Miomelli diei 19 maii 1684 in actis domini Ioannis Bernardi notarii, missae duodecim infra octavam defunctorum. |81| Ex legato quondam Margaritae Valenti Vaii, missae triginta in anno, ut ex eius testamento diei 15 octobris 1708 in actis domini Ioannis Baptistae Girlanda notarii. Quae onera satisfieri constat et ex attestationibus et ex libro missarum. Pro iisdem obligationibus celebrat et satisfacit reverendus dominus Augustinus Bagieta, ab ipsa confraternitate electus ex stipe percepta; praeter quam quotannis eidem solvuntur ducati triginta de grossis triginta uno, cum obligatione celebrandi omnibus diebus festis iuxta intentionem piorum confratrum hanc summam suppeditantum nec non cum obligatione excipiendi eorumdem confratrum sacramentales confessiones ipsosque communicandi saltem semel in mense iuxta eorum institutum, quod religiose pieque observant. Visitavit altare legneum sancti Barnabae, cum portatili et icona in tela depicto, sed eius ornamenta circum disposita sunt in muro depicta. Manutenetur de omnibus a confraternitate estque bene provisum. |81'| Vedit et visitavit sacras reliquias iam in visitatione gradonica recognitas, scilicet sanctorum Christi martyrum Fidentii, Giminiani, Gallicani et Fortunatae, cum suis documentis autenticis. Alias sacras reliquias sanctorum Christi martyrum in duabus capsulis ligneis servatis, in dicta visitatione gradonica pro earum identitate denuo sigillo munitas. Visitavit altare Nativitatis beatae Mariae Virginis, recenter ex marmoribus constructum cum portatili. Est bene ornatum et a dicta confraternitate de omnibus, prout tota ecclesia, manutenetur, quod adimpleret religiosa pietate. Visitavit sacristiam contiguam a latere evangelii, cum suppellectilibus et vasibus sacris pro sacrificio missae peragendo, de quibus est decore provisum. Retro altare maius visitavit chorum, ubi confratres festivis diebus congregati Deiparae Virgini laudes persolvunt Deoque aliis precibus religiosum cultum praestant. Haec confraternitas ita antiquitus erecta traditur ut eius erectionis memoria nulla habeatur. |82| Eiusdem confratres cappas albas induunt, cum cruce rubra supra humerum, gestantes prae manibus baculum more peregrinorum; ad praesens numerus dictorum confratrum superat summam 38, qui descripti sunt in catalogo, praeter confratres privilegiatos. Ibidem confratres exhibuerunt libros capitulorum, iuxta quae confraternitas regitur, subscriptorum ab excellentissimis rappresentantibus seu eorum vicariis, sed nulla ecclesiastica auctoritate approbatorum. Dominus Ioannes Baptista Peroni, confrater unus ex consiliariis huius confraternitatis, exhibuit videndum thecam argenteam sigillo munitam, in qua custodiuntur sacrae particulae, de ligno scilicet sanctissimae Crucis Domini nostri Iesu Christi et de ossibus sancti Alexii, munitae autentico recognitionis documento huius curiae episcopalnis, ut constat ex actu diei 17 iulii 1741 exhibito et restituto et in argumentum sui amoris erga confraternitatem et pietatis zelo thecam ipsam et dictas sacras reliquias obtulit ipseque tradidit dono largendo domino Ignatio Rossati priori, quam |82'| et quas idem prior accepit nomine confraternitatis sua et plurimas gratias pio confratri obtulenti persolvit. Obtulerunt pariter quoddam diploma indulgentiarum, sed illius sunt generis quas suspensas declaraverunt pontifices ideoque moniti fuere ut

summum pontificem supplicant pro veris indulgentiis obtinendis. Demum cum De Profundis oravit pro defunctis et, factis decretis ac ordinationibus super expositione supplicata sanctissimi Sacramenti et super tabernaculo pro illo – cum contingat – asservando, prout in fine huius libri, clausa sua pastorali visitatione, pro qua confratres gratias plurimas obsequenter egerunt, ad suum episcopale palatum se se restituit. Die 9 aprilis 1742. Comparuit coram reverendo domino provicario generali venerabilis clericus Florius Peroni de Castro Rupto, diaconus annorum 23, degens sub paroecia Sancti Stephani studiorum causa et, supplicata venia quod non comparuerit eo die quo tribunal habebatur in visitatione plebis Sancti Stephani eaque – rationibus |83| adductis – obtenta, exhibuit sua mandata et fuit dimissus. Comparuit quoque venerabilis clericus diaconus Franciscus Giustini de Castro Rupto annorum 24 circiter, sub antedicta parochia degens et, ut ante supplicata et impetrata venia, sua exhibuit mandata et fuit dimissus. Die 10 aprilis 1742. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus antedictus, suam pastoralem visitationem completurus, ad parochiale ecclesiam seu plebem Sancti Stephani cum suo comitatu se contulit. Receptus obsequentissime ab admodum reverendo archipraesbytero cum suo clero et a sindico viciniae, templum ingressus est, aspergillum in ingressu dicto domino archipraesbytero de more offerente et ante altare maius paulisper oravit. Subinde, stantibus relationibus habitis de campana maiori rupta, monuit atque mandavit ut campana similis ex metallo veteris campanae ruptae alioque sufficienti, impensis eorum ad quos spectat, refundatur. Deinde interrogavit dominum archipraesbyterum praedictum utrum apliceat |83v| missae sacrificium diebus festis pro populo iuxta parochiale obligationem et monita descripta in instructione pastorali suae illustrissimae et reverendissimae dominationis diei [manca], in quo cum deficiat, eumdem monuit ut huic oneri ipse satisfaciat, rationem Deo redditurus si neglexerit et non paruerit. Quibus habitis, pastoralem visitationem, statutis decretis factisque ordinationibus prout sequitur, cum De Profundis absolvit et clausit ac ad suum episcopale palatum reversus est. Ordinata et decreta in visitatione plebanae ecclesiae Sancti Stephani civitatis Veronae, incepta die prima aprilis 1742, confecta vero die 10 eiusdem mensis. Ordinata pro coemeteriis. Instaurentur muri omnes qui circumdant coemeteria, tam illi qui sunt iuxta viam quae dirigitur ad portam Sancti Georgii quam illi qui sunt iuxta aliam viam versus oratorium Sancti Gregorii. Purgentur et purgata teneantur ipsa coemeteria ab omnibus immunditiis, quibus de honestata cum scandalo |84| conspiciuntur et coemeterium illud, quod est retro chorum claudatur muris, vel rastris ab utraque parte, dirigendo scilicet muros, vel rastra ex una parte ab angulo domus de ratione nobilis domini comitis Hieronymi Iuliarii usque ad murum ecclesiae, et ex alia parte a ianua per quam descenditur in ipsum coemeterium a via communi usque ad murum ipsius ecclesie, ita ut remaneat liber aditus ab ipsa ianua ad ecclesiam et irreligiosi homines ac animalia impediantur in idem caemeterium ingredi. Erigatur in utroque ceemeterio ad normam sacrorum rituum crux saltem ferrea. Ordinata quoad sacramenta. Porta tabernaculi altaris maioris intus vestiatur panno serico albo – custodia oleorum sanctorum intus vestiatur panno serico violaceo – removeantur craticula lignea et lateae quae nunc sunt in confessionalibus et reponuntur aliae craticulae lateae spissioribus foraminibus confectae. |84v| Ordinata et decreta pro sacristia. Visitato choro ecclesiae et viso ibidem alveo pro manibus ablwendis armarioque quodam paramentorum pro missis cognitoque quod ferialibus presertim diebus ibidem quidam sacerdotes se parant sacris suppellectilibus et exinde exeunt ad missas celebrandas, uditis deinde instantiis viceprioris aliorumque confratrum societatis beatae Mariae Virginis a Pueritia necnon sindici et rasonerii viciniae, postulantum ne ultra toleretur usus pro sacristia alterius loci qui est retro altare sancti Vincentii eoque loco visitato cognitoque ad hunc usum minime convenire, praesertim cum nullus servetur ordo in distributione missarum celebrandarum, propterea vetuit ne deinceps chorus ipse et locus retro altare sancti Vincentii inserviant ullo modo pro usu sacristiae, mandans in virtute sanctae obedientiae omnibus et singulis sacerdotibus celebraturis in hac ecclesiae ut non alio in loco paramenta sumant et exeant ad celebrandum nisi in sacristia quae est subtus domum parochiale, animadvertisurus poenis canonicas in eos qui huic decreto non paruerint. |85| removeatur a choro supra descriptum alveum ad ablwendas manus et construatur decenti forma in sacristia parochiali – ostensorium ex cupro inauretur et lunula intus ipsum firma aptetur – duae patenae ex cupro retro auro vel saltem argento linientur – calix cuius pes est cupreus suspenditur – tabella onerum respectivorum, ecclesiae et altaribus adictorum, iuxta eorum assignationem seu reductionem quam, cognitis documentis et redditibus, resservat sibi decernendam respective et declarandam, palam collocetur in sacristia – alia tabella pro ordine missarum celebrandarum, quem decernendum sibi quoque resservat, apponatur in eadem sacristia. Mandavit archipraesbytero ne permittat ut ad praeparanda altaria pro sacrificio missae mulier aliqua accedat, redditurus ipse suae dominationi illustrissimae et reverendissimae rationem. Ordinata pro campanis. Removeatur a campanili campana maior abrupta et |85v| ex ea alioque metallo quod sufficiat altera illi simili conflari fiat, impensis eorum ad quos spectat. Ordinata pro officiaturis, beneficiis, anniversariis et cetera. Doceat intra

terminum unius mensis a pubblicatione istorum admodum reverendus dominus archipraesbyter de obligationibus respectivis impositis in legatis seu piis dispositionibus Alici, Anichina, Lisca, Cristata, Chechi et da Prato et illa pro qua tenetur celebrare missas ad altare Spiritus Sancti ac demum alia quae provenit ex capitali relichto a quondam nobili domino Bernardino Supino, addicta aediculae beatae Mariae Virginis a Terraglio in hac visitatione ab ipso assertis et valorem reddituum respectivorum eorumdem nec non probet se hucusque ipsis satisfecisse; exhibeat etiam intra idem terminum fundamenta capitalis Zaghetti nuncupati assignati – ut assertum est – altari sancti Mauri et oblati sanctae Placidiae, quae in eo altari quoque veneratur, in poenam suo arbitrio infligendam, ad hoc ut decernatur quidquid et cetera. |86| Doceant infrascripti beneficiarii cappellani intra spacium unius mensis a pubblicatione istorum, sub poena suspensionis a divinis incurrenda aliisque arbitrio suo, de fundamentis respectivorum suorum beneficiorum seu officiaturarum ac de quantitate reddituum respectivorum, quos modo exigunt vel qui modo sunt exigibles nec non quomodo hucusque obligationibus ipsis respective satisfecerint, ad hoc ut decernatur quidquid et cetera, scilicet: reverendus dominus Marcus Trevenzoli pro beneficio sancti Andree; reverendus dominus Iacobus Loveti pro beneficio sancti Mauri; reverendus dominus Aloysius Bravi, vel pro eo reverendus dominus Marcus Trevenzoli eius procurator assertus, pro beneficio ad altare sanctae Mariae Veteris; reverendus dominus Bartholomaeus Merzari pro officiatura Varalia ad altare sanctorum Innocentium; reverendus dominus Antonius Pesaro pro primo beneficio ad altare beatae Mariae Virginis Angelorum; reverendus dominus Nicolaus Bovio pro secundo beneficio ad idem altare; |86v| reverendus dominus Iacobus Ferrari pro beneficio Mainenti ad altare sancti Vincentii; reverendus dominus Gasparini pro altero beneficio donna Libera nuncupato ad idem altare; admodum reverendus dominus Stephanus Zamperini archipresbyter Sancti Michaelis ad Portas seu reverendus dominus Iones Baptista Zamperini eius frater pro officiaturis Zannata et Maura ad altare beatae Mariae Virginis a Pueritia; reverendus dominus Marcus Trevenzoli pro officiatura Buri ad idem altare; reverendus dominus Bernardinus Patirani pro officiatura Rambalda ad idem altare; reverendus dominus Marcus Silvestri pro officiatura Passalea ad idem altare; reverendus dominus Angelus Ferrais pro legato Milani ad idem altare; reverendus dominus Franciscus Bussola pro beneficio ad altare sanctorum Blasii et Alexandri. Et, stante praesentatione ab ipso facta scripturarum sub die 2 currentis, dicat et ducat sanctae congregatio Cleri |87| intrinseci, nec non reverendus clerus quidquid et cetera. Missas, quas celebrare facit societas beatae Mariae Virginis a Pueritia, quatenus – ut assertum fuit – ex earum institutione in quatuor officiis sint celebrandae et ad valorem manualis eleemosynae 30 solidorum, decrevit et declaravit non posse ab ipsa societate facere illas celebrare diebus festis cum eleemosynis tronorum duorum, monens singulos et omnes confratres huius societatis rationem in divino iudicio se esse reddituros si non impleverint in omnibus pias dispositiones eorum fidei relicta, vel si redditus piarum oblationum ultra quem tenentur prodigaliter expenderint. Canonica fiat vel supplicetur reductio legati Mnafredi ad altare sancti Nicolai, ut etiam pro parte ecclesias et pro parte nobilium dominorum Manfredorum in transactione die 9 iunii 1677 conventum fuit, aliter resservavit sibi ad procedendum iuxta ecclesiasticas sanctiones. Pro residuo debiti societatis sanctissimi Corporis Christi, asserti in libris 1195 pro missis celebrandis, sibi resservavit |87v| decernere, visis fundamentis aliisque videndis, quidquid et cetera. Ordinata ad altaria. Provideatur de portatili ad mensuram canonicam altare Sancti Spiritus – deleatur inscriptio quae legitur subtus pedem scabeli beatae Mariae Virginis a Pueritia – resservavit sibi decernendum locum pro conservandis suppellectilibus altaris sanctorum Blasii et Alexandri. Decreta et ordinata circa curam animarum. Monuit sacerdotes et clericos ut sedulam operam dent ad docendum doctrinam christianam pueros, cui officio si defuerint illas incursuros declaravit poenas suo arbitrio infligendas – stante expositione facta ab admodum reverendo paroco Quinti et ab hominibus eius loci nec non auditis quibusdam incolis vicinis oratorio Sancti Matthiae extra, cum res maturum iudicium postulet, sibi extra visitationem et tamquam in ipsa, quidquid et cetera decernendum resservavit monuitque interim incolas praedictos |88| ad comparendum et dicendum, ad hoc ut et cetera. Ordinata et decreta pro oratorio vulgo il Giesiol. Intra spacium sex mensium ab eo ad quem spectat omnino pareatur ordinationi in visitatione gradonica factae, scilicet quod icon ad altare in forma decenti fiat; aliter, termino mensium sex elapso, idem altare suspensum nunc pro tunc declaratur – retia ferrea iuxta eiusdem visitationis ordinationem aptentur ad fenestras, ubi etiam vitra essent collocanda – fiant duo paramenta sacerdotalia, unum nigri coloris et alterum coloris viridis nec non provideatur vestis talaris; paramenta vero domi servata suspensa declaravit – aptetur labellum cum manutergio in sacristia ad abluendas manus et vas pro aqua sancta ibidem servandum. Ordinata et decreta pro oratorio Sancti Matthiae. Cum in visitatione doctrinae christianaee quae hic habetur |88v| et dependet a schola doctrinae christianaee erectae in plebe Sancti Stephani pueros, et puellas praezerosim, rudes invenerit, mandavit ut archipraesbyter Sancti Stephani et superiores eiusdem scholae Sancti Stephani huic gravissimo

negotio consulant – de nova provideatur pagella tabellae mediae – fenestella confessionalis parumper attollatur et a parte sacerdotis ponantur pagella casum ressistorum et illa contra sollicitantes et bulla In Coena Domini – paramentum sacerdotale violaceum iuxta ritus sarciatur ac praesertim quoad crucem in anteriori parte planetae – duo provideantur paramenta sacerdotalia, alterum viridis alterum nigri coloris – missale sarciatur in canone et addantur missae pro sanctis novis – erigatur crux in culmine tecti – super expositis ab incolis vicinis, iam resservatum fuit decernendum quidquid et cetera in decretis pro plebe Sancti Stephani circa curam animarum, quibus et cetera. **[89] Ordinata et decreta pro ecclesia Sancti Petri in Castro.** Rector eiusdem ecclesiae admodum reverendus dominus Ioannes Baptista dalla Rizza doceat quo fundamento teneatur missas celebrare singulis diebus festis sine earum applicatione idque termino unius mensis, quo elapso nisi paruerit sciat se incursum in poenas arbitrio nostro infligendas. Venerabilis clericus dominus Andreas Lugiatus, congregationis Oratorii sancti Philippi Nerii, doceat intra idem terminum fundamentum obligationis assertae sui benefitii ad altare sanctissimi Crucifixi trium missarum, aliter procedetur prout de iure et cetera. Reverendus dominus Ioseph Sancassani intra idem terminum doceat de fundamento suae cappellaniae ad altare beatae Mariae Virginis et an et quando ipsa cappellania inserviat pro titulo sua ordinationis. Altare ipsum beatae Mariae Virginis de Carbonesiis nuncupatum maneat in sua suspensione. Custodiantur reliquiae corporum sanctorum Verecundi et Valentis sub tuta custodia et clavi. Confessionale mobile, indecens et in forma contrarium ritibus **[89v] ecclesiae, omnino ab huiusmodi usu suspendit.** Ordinata pro oratorio Sancti Felicis in Arce. Exequatur ordinatio in visitatione gradonica deputata circa labrum et manutergium pro abluendis sacerdotum manibus ac portatile altaris – provideatur paramentum sacerdotale nigri coloris – inauretur vel argento deliniatur pes calicis et patena retro – provideatur de missali romano – provideatur biretum sacerdotale – fiat labellum pro aqua sancta vicinum ianuae sacristiae collocandum – restaurentur vitra ad fenestras oratorii – obturetur forum in culmine fornicis supra altare. Ordinata et decreta pro oratorio Sancti Caroli. Permisit confessionale mobile donec perduret licentia admodum reverendi archipraesbyteri Sancti Stephani nec aliter et cetera – provideatur de novo portatili ad mensuram canonica altare sanctae Annae. **[90] Ordinata et decreta pro oratorio Sancti Gregorii.** Permisit suspensam executionem missarum legatarum a quondam Antonio Antonino donec aliquid ex capitali huic legato obnoxio exigi poterit, conscientiam onerans confratrum qui tenentur adhibere curam ut exigibile ipsum reddatur et pia dispositio impleatur. Proibuit et sub pena suspensionis ipso facto incurrendae vetuit cappellanis et quibuscumque sacerdotibus confessariis ne in loculis vicinis sacristiae, subtus scalam per quam ascenditur ad oratorium superius, excipient confessiones mulierum. Supplicationibus porrectis a domino Blasio Zambelli guardiano primo, a domino Antonio Guarnero secundo et a domino Antonio Lombardo tertio aliisque confratribus super fieri faciendam lampadem ex argento vasculorum inutilium, confraternitati relictorum a domino Christophoro Benella de Laudis alioque argento adiiciendo benigne annuens, decrevit iuxta eorum supplicationem. Imago ex ligno sculpta sancti Gregorii subtus imaginem beatae Mariae Virginis **[90v]** illinc removeatur, cum satis sit ut una sit imago in hoc altari. Ordinata et decreta pro aedicula Beatae Mariae Virginis a Terralio nuncupata. Paramenta quae vetusta et lacera in visitatione gradonica describuntur, si quae adhuc extant, suspensa declaravit. Provideatur de paramentis pro sacrificio missae celebrando in hac aedicula ex eleemosynis piorum, quas colegit vel colecturus est archipraesbyter. Monuit Augustinum Basso haeremitam ut religiosam vitam ducat, testimonium admodum reverendi domini archipraesbyteri super hoc latus, aliter privabitur veste haeremita et a sanctuario eicietur. Ordinata pro ecclesia Mendicantium. Addantur missalibus missae novae sanctorum – provideatur pagella contra solicitantes et alia casum ressistorum et ponantur utraeque iuxta confessionale in eadem sacristia. Ordinata pro ecclesia Derelictorum. Portatile altaria sanctae Tuscanae parumper extolatur, firmetur **[91]** et eiusdem rimulae circum obturentur. Ordinata et decreta pro ecclesia Sancti Alexii. Supplicationibus prioris et confratrum benigne annuens, concessit ut fiat expositio sanctissimi Sacramenti in eodem oratorio, ut petitum est, sine praeiudicio iuris parochialis et de licentia parochi nec aliter, nec alio modo – tabernaculum vestiatur intus panno serico albi coloris. Sequuntur comparitiones et decreta iuxta monita atque mandata in eadem visitatione plebis Sancti Stephani Veronae, incepta die prima aprilis 1742 et completa die 10 eiusdem mensis et anni. Die dominico 20 maii 1742. [A margine: San Carlo] Coram sua illustrissima et reverendissima dominatione in aedibus suis venerunt dominus Antonius Seriati, prior aliique confratres societatis sancti Caroli huius civitatis et, praemissa gratiarum actione pro beneficio collato suae pastoralis visitationis, die 8 aprilis 1742 habitae, attestarunt eius mandata et ordinationes executioni demandasse nec non eiusdem paternae oretenuis factae admonitioni paruisse, eorum scilicet reverendo **[91v]** cappellano Iacobo Ferrari, ob ingravescentem aetatem ferme impotenti, subrogando et in coadiutorem assignando reverendum dominum Paulum Aliprandi, quem praesentarunt eidem illustrissimae et reverendissimae dominationi; quibus

confratribus benigne receptis, ipse illustrissimus et reverendissimus praesul humanissime correspondit et ita et cetera. Die 22 maii 1742. [A margine: Santissimo Sacramento – Vide in fine huius libri numero 1] Comparuerunt coram reverendissimo domino provicario generali episcopatus Veronae dominus Antonius Parisi, prior et dominus Caietanus Girondelli, cancellarius societatis sanctissimi Sacramenti in plebe Sancti Stephani nec non dominus Franciscus Andreasi, vice prior eiusdem societatis, commissarii omnes testamentarii piae dispositionis quondam dominae Franciscae de Scotanellis, uxoris quondam Caroli a Ritia et repetierunt humiliter eorum instantiam factam in visitatione venerabilis plebis Sancti Stephani sub die 4 aprilis efluxi, ad hoc ut decernatur quidquid et cetera iuxta ipsam eorum instantiam, stante praesentatione computorum et reddituum, non modo commissariae Scotanellae verum etiam ipsiusmet societatis sanctissimi Sacramenti diei 6 aprilis proxime elapsi. |92| Successive comparuit dominus Ioannes Baptista Bonvicini, prior venerabilis confraternitatis sanctissimae Annunciationis et exposuit, cum missae ex dispositione Scotanella celebranda sint ad altare sanctissimae Annunciationis, cui erecta est eius confraternitas, ubi haec diebus festis convenit ad recitationem officii beatae Mariae Virginis cumque ipsamet confraternitas se se offerat ad onus occurens pro ceris aliisque necessariis pro celebratione earumdem missarum, maxime cum eodem devotioni progressum futurum si domini commissarii dispositionis Scotanellae consentiant ut missae celebrentur a cappellano ab ipsis commissariis electo, ea hora quae officium beatae Mariae Virginis sit persolutum, quapropter supplicavit ipse prior confraternitatis sanctissimae Annunciationis ipsos dominos commissarios ut id permittant et concedant. Quibus auditis, domini commissarii ut supplicatum fuit concesserunt, hac tamen conditione ut quocumque tempore sit liberum ipsis concessionem ipsam revocare, qua revocata cesseret quoque onus sacristiae satisfacienda pro parte confraternitatis sanctissimae Annunciationis. |92| Reverendissimus dominus provicarius generalis antedictus, auditis instantiis ut supra repetitis, praesente admodum reverendo domino archipraesbytero plebis Sancti Stephani, visa pia dispositione quondam dominae Franciscae de Scotanellis, viso etiam computo autentico exhibito debiti societatis sanctissimi Sacramenti in summa librarum 1195.10.6, visis etiam statu reddituum societatis et onerum eiusdem nec non considerata quantitate pecuniae existente apud ipsam societatem et considerata qualitate debitorum qui solvunt eidem societati ac demum comperto quod duo tantummodo sint capitalia obnoxia commissariae Scotanellae, unum apud dominum Albertum Fumermarium pro quo exiguntur librae 46.10, alterum apud dominum Iosephum Genari pro quo exiguntur librae 55.16, ex quibus conficitur summa librarum 102.6 aliisque consideratis considerandis, stante maxime beneficio quo fruitur societas praedicta ducatorum 3 quos exigit praeter summam suprascriptam librarum 102.6, decrevit ut quotannis singulis diebus dominicis ad altare sanctissimae Annunciationis celebrentur missae iuxta mentem testatoris et ea hora prout |93| concessum superius fuit a dominis commissariis, ita tamen ut, si aliquando voluerint ipsi commissarii perseverare in ea concessione, in tali casu ab ipsis satisfiat pro onere sacristiae et missarum numerus reductetur canonice cum proportione deficientiae a summa librarum 102, quae occurret pro satisfactione sacristiae. Praeterea decrevit ut pro residuo debiti debeant domini commissarii facere quotannis celebrari triginta saltem missas festivas ad idem altare, cum eleemosina librarum 2 pro quaue, donec integrum debitum librarum 1195.10 extinctum omnino fuerit et ita et cetera, omni et cetera. Die 29 maii 1742. [A margine: Sant'Andrea Apostolo – Vide in fine numero 2] Comparuit coram reverendissimo domino provicario generali reverendus dominus Marcus Trevenzolus, rector beneficij sancti Andreae in plebe Sancti Stephani, a quo sub die 22 huius mensis, parens monitioni sibi factae, praesentata fuit dotatio sui altaris, una cum policea reddituum et onerum nec non missarum a se hucusque celebratarum diebus festis, cum eleemosyna sibi retenta librarum 2 pro singula missa seseque submittens |93| auctoritati ordinariae qua fungitur ipsemet reverendissimus dominus provicarius generalis, supplex petit ut decernatur quomodo deinceps onera annexa suo beneficio adimplenda sint. Quapropter idem reverendissimus dominus provicarius generalis, considerato onere institutionis huius benefitii, quod constat ex instrumento dotationis diei 4 novembbris 1358 in actis domini Nicolai de Bacchinis notarii, exemplato a domino Raynaldo de Bonsignoris notario et descripto ab eodem in libro cum carta pergamena ad folium 23 tergo, quem exhibuit eidem reverendissimo domino provicario admodum reverendus dominus archipraesbyter Sancti Stephani quique ab ipso in suo archivio servatur, quod onus est ut beneficiarius *iugiter ad dictum benefitium et altare tam in missis quam in aliis officiis divinis debeat officiare nec debeat se absentare ultra octo dies, nisi occasione famis, infirmitatis vel alterius causae evidenter necessariae, absque licentia archipraesbyteri dictae plebis* et cetera, considerato etiam statu reddituum praesentium, qui constant et ex policea extimi apud reverendum clerum anni 1724 nec non ex alia suprascripta policea, ut ante praesentata, qui redditus |94| exigibles non excedunt summam librarum 190.10, consideratis etiam gravaminibus publicis annexis huic beneficio, scilicet librarum 49.12 pro decimis et librarum 12.15 pro terminis cleri, considerata demum obligatione manutendendi

altare aliisque considerati considerandis, decrevit: primum, praeter valorem supradictorum gravaminum detrahendos esse a summa reddituum tres ducatos de grossis triginta uno, ut ipsi quotannis impendantur pro solemnitate celebranda in eodem altari die sancti Andree apostoli ac pro manutentione eiusdem altaris; deinde pro reliquo redditu teneatur per se ipsum celebrare missas iuxta intentionem institutoris singulis diebus dominicis, die quoque Nativitatis Domini nostri Iesu Christi et sancti Stephani ac sancti Andree apostoli, ita tamen ut, si augeantur redditus, augeatur quoque numerum missarum neque ipse vel eius successores possint minorem numerum missarum celebrare nisi iterum reductio canonica fiat, iniungens etiam eidem cappellano obbligationem interessendi divinis officiis quae solent celebrari vel |94^v| celebribuntur in dicta ecclesia archipresbyterali Sancti Stephani ac mandans ut redditus qui dicuntur inexigibiles, omni diligentia adhibita, per legales excusiones exigibiles si fieri possint evadant cappellani, conscientiam super hoc onerans et ita et cetera, omni et cetera.

Die 29 maii 1742. [A margine: Santa Maria Vecchia o Santi Re Magi – vide in fine numero 3] Facta iam praesentatione policeae redditum et onerum cappellaniae sanctae Mariae Veteris sive Regum Magorum in plebe Sancti Stephani sub die 22 huius mensis comparuit hodie coram reverendissimo domino provicario generali reverendus dominus Marcus Trevenzolus, procurator nobilis et reverendi domini Aloysii Bravi, beneficiarii eiusdem cappellaniae, ut constat ex mandato procura in eadem policea citato, viso iam et restituto; et interrogatus utrum praeter redditus descriptos in edem policea, aliqui alii sint de ratione huius cappellaniae suoque iuramento respondeat ipse iureurando. Afferuit, praeter redditus ut supra descriptos, nullos alios reperiri eidem cappellaniae addictos. Deinde, interrogatus circa institutionem et obligationes |95| huius cappellaniae, respondit neque scire neque potuisse cognoscere quibus obligationibus instituta fuerit, nihilominus in policea exhibita reverendo clero anno 1653 sub numero 112, quam in forma autentica ostendit, apparere inesse obligationem annexam huic cappellaniae duarum missarum in singulis hebdomadibus, id est die lunae et die sabbathi ac praeterea rectorem obligatum esse ad ressentiam in divinis officiis. Cum vero status redditum praesentium exigibilium consistat in minalibus 4 quartis 2 frumenti, in brentis 12 uvae, in bacetis 3 olei et tronis 39.16 denariorum currentium, ex quibus, computato valore suprascriptorum redditum iuxta tarifam cleri, conficitur summa tronorum 152.6, a quibus detrahendum est pro gravaminibus publicis, scilicet libras 12.15 olei clero, libras 12.18 pro divinis et aliquid pro manutentione altaris nec non pro solemnitate diei Epiphaniae. Supplicavit idem procurator, nomine quo et cetera, ut decernatur numerus missarum ex residuis redditum |95^v| celebrandarum et ita et cetera. Reverendissimus dominus provicarius generalis, suprascriptis supplicationibus annuens, considerato statu praesenti huius cappellaniae et gravaminibus publicis supradescriptis, quae conficiunt summam librarum 25.3, decrevit ex summa eorumdem redditum detrahendas esse quotannis libras duodecim, impendendas pro manutentione altaris et mobilium; ex reliquis vero libris 115.13 celebrandas esse missas quotannis septuaginta septem, ita ut singulis hebdomadibus die sabbathi celebretur una missa et alternative in hebdomadibus die lunae celebrentur reliquae, ita ut quot annis completus remaneat numerus missarum septuaginta septem, cum conditione quod, si augeantur redditus, augeatur etiam numerus missarum, onerans conscientiam rectoris ad facandas pro viribus excusiones ut redditus qui dicuntur inexigibiles exigibiles reddantur, mandans quoque ut adimpleatur obligatio ressentiae in divinis officiis celebrandis in ecclesia Sancti Stephani et ita et cetera, omni et cetera. |96| Die 31 maii 1742. [A margine: Santi Innocenti – Vide in fine numero 4] Comparuit in hac cancellaria episcopali coram reverendissimo domino provicario generali reverendus dominus Bartholomaeus Merzari, cappellanus venerabilis cappellaniae sanctorum Innocentium in plebe Sancti Stephani et, stante obedientia a se praestita sub die 30 aprilis proxime elapsi decreto visitationis ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo habitae eiusdem ecclesiae per praesentationem a se factam policearum, processuum nec non libri exactionum pertinentium ad huiusmodi cappellaniam, quibus relevatur ex dotazione 26 maii 1620 in actis domini Iacobi Verdelli notarii qualitas cappellaniae, ut nimur sit quotidiana, personalis, amovibilis et officienda praecipue diebus festis quoad cappellanum, cum dependentia quoad horam celebrandae missae a voluntate domini archipraesbyteri et cum facultate concessa cappellano vacandi a celebratione per dies viginti, cum licentia eiusdem domini archipraesbyteri et accipiendo eleemosynas ab aliis pro missis celebrandis in dictis diebus et cum onere haeredibus imposito solvendi quot annis ducatos decem pro |96^v| manutentione altaris, alios ducatos decem erogandos archipraesbytero pro sacristia ac demum praestandi eidem archipraesbytero octo bacetas olei, ut iugiter lampas ardeat in dicta cappella et ex quibus documentis praesentatis cognoscitur transactio subsequuta die 24 maii 1650 in actis domini Ioannis Francisci Rotarii inter eamdem venerabilem plebem et cappellaniam ex una atque haeredes quondam reverendi domini Iulii Varalli institutoris ex alia, in qua, stante insufficiencia haereditatis ad sustinenda onera imposita ab institutore supradicto, cesserunt eidem plebi et cappellaniae

omnia bona eiusdem haereditatis Varaliae ibidem descripta, cum onere cappellano iniuncto et acceptato a domino archipraesbytero celebrandi iuxta intentionem, manutenendi altare, solvendi pro sacristia et pro lampade, quae transactio – ut constat ex processu foris inscripto *Contro commissarii della svedetta cappellania* pagina 31, praesentato et restituto – apostolica auctoritate Innocentii X corroborata fuit et a Sebastiano Pisani episcopo nec non a Cotia Cotio archipraesbytero cathedralis, executoribus apostolicis, executa fuit et decreta. [97] Verum, cum ex bonis cessis iuxta leges pars maior vendita fuerit ita ut non remaneant ex ipsis bonis nisi sex affictus seu livella, redditus omnes in praesens exigibles ex capitalibus confectis ex bonis venditis et ex livellis ut supra residuis reddacti fuerint ad summam tronorum 396.11.8, quibus, si addantur librae 19.15 veronenses, quae faciunt de currentibus tronos 26.6.8, qui in iudicio a debitoribus refutantur solvi, tota summa coalescit in libras 422.18.4; cui summae erit addendus fructus proventurus ex capitali ducatorum 150, quod ad praesens iacet depositatum supra sanctum Montem pietatis quodque legatum fuit a domino Gullielmo Gullielmini pro exoneratione suae conscientiae, ut asseruit cappellanus, quibus stantibus, praefatus cappellanus inhaerens vestigiis suorum praedecessorum, cum impossibile fuerit omnia onera imposta adimplere, stante insufficiencia patrimonii relict, lampadem accensam tantummodo tenuit quibusdam diebus descriptis in processu praesentato pagina 19 et solvit pro sacristia domino archipraesbytero, ut appareat [97] ex chirographis ab ipso firmatis, libras 633.18 ita ut, parciendo ipsas in tresdecim annos ex quo ipse est electus cappellanus, constat solvisse quotannis libras 48.13, quibus detractis a summa reddituum et detractis etiam impensis pro altari manutenendo et pro litibus quae fuerunt necessariae ad exigendos fructus eiusdem cappellaniae, tot missas celebravit quot potuit celebrare iuxta eleemosynam manualem respectivam diebus ferialibus et festivis, prout descriptum est in libro a se exhibito ut supra ac restituto. Quapropter supplex idem cappellanus ab eodem reverendissimo domino provicario generali petuit ut, cum ab initio ipsiusmet institutionis huius cappellaniae impossibilis reddacta fuerit adimpletio onerum impositorum, dignet sua auctoritate tamquam in visitatione interpretari voluntatem piam institutoris, decernendo respective ad omnia onera quidquid et cetera. Successive comparuit admodum reverendus dominus Hieronymus Patirani, sacrae theologiae doctor, archipraesbyter venerabilis plebis Sancti Stephani huius civitatis [98] auditaque instantia cappellani sanctorum Innocentium, subiunxit se petere ut executioni mandetur pia dispositio Varalia iuxta vires reddituum praesentium aut eorum qui futuri fortasse esse poterunt et ita et cetera. Reverendissimus dominus provicarius generalis, auditis supplicationibus et instantiis ut supra expositis, visis et consideratis dotatione huius cappellaniae nec non obligationibus ut in ea transactione et electione facta reverendi domini Bartholomaei Merzari in cappellanum, consideratis etiam praesentibus redditibus in summam tronorum 396.11.8 nec non summa soluta pro sacristia domino archipraesbytero, decrevit hunc non posse praetendere ultra eamdem summam aliquid aliud; quin immo deinceps pro eadem sacristia ultra non esse solvendum eidem domino archipraesbytero nisi ducatos sex de grossis triginta uno quot annis et impendendum esse unum ducatum pro manutentione lampadis ante ipsum altare sanctorum Innocentium, unum ducatum pro diebus festis Natalis Domini nostri Iesu Christi, sancti Stephani, sancti Ioannis et sanctorum Innocentium, in diebus tribus Paschatis aliisque tribus Pentecostes, in die sancti Petri, Assumptionis [98] beatae Mariae Virginis, Sanctorum Omnis, consecrationis ecclesiae, sancti Stephani et singulis diebus festis sanctorum Quinque Episcoporum, quorum corpora ibidem venerantur ac demum sanctorum Quadraginta Martyrum, quorum reliquiae ibidem sunt. Praeterea decrevit impendendos esse quatuor ducatos eiusdem speciei pro solemnitate et manutentione eiusdem altaris; quibus expensis detractis a summa librarum 328.27.8, decrevit ut singulis diebus fetis celebrentur missae a cappellano iuxta mentem institutoris et centum duodecim missae diebus ferialibus singulis annis, ita parciendo ipsas ut singulis hebdomadibus duae saltem missae ferales celebrentur et numerus idem missarum ferialium centum duodecim singulo anno impleatur; quod si exigibile reddetur livellum librarum 19.15 veronensem, decrevit ut cappellanus missis ferialibus supradictis addat alias missas decem octo ac insuper, facta investitura capitalis iacentis supra sacrum Montem Pietatis ducatorum 150, celebret tot missas ferales quot poterunt celebrari ex fructu eiusdem capitalis provenienti, [99] computata eleemosyna ad triginta solidos pro quaqua missa; quod, si forte augeantur redditus, numerus quoque augeatur missarum, nec possit cappellanus minorem numerum missarum celebrare quacunque occasione, nisi facta canonica reduction, et ita et cetera omni et coetera.

Die 5 iunii 1742. [a margine: officiatura Millani – vide in fine numero 5]. Comparuit coram reverendissimo domino provicario generali episcopatus Veronae reverendus dominus Angelus Ferrais, cappellanus officiaturae manualis relicte ex testamento quondam Laurentii Steffani, publicato die 14 aprilis 1700 in actis domini Dominici Moretti notarii, qui electus fuit ad officiandam ipsam officiaturam ab haeredibus et coniunctis dominae Rosinae Milani, quae fuit uxor praedicti testatoris, gaudentibus iurepatronatus eligendi,

prout constat ex transactione 19 martii 1726 inter venerabilem societatem Corporis Christi in ecclesia Sancti Stephani succendentem in commissaria praefatae piae dispositionis societas Beatae Mariae Virginis a Pueritia eiusdem ecclesiae, a qua renunciatum fuit ius commissariae et benefitium **[99^v]** quodcumque ex eodem testamento ex una parte et dominum Andream Millani haeredem eiusdem dominae Rosinae ex altera; quam transactionem exhibuit et praesentavit – una cum actu suae electionis diei 9 aprilis 1726 habito in cancelleria praetoria – omnia infra existentia, ex quibus scripturis relevatur quod, stantibus difficultatibus superventis haereditati Steffani, ut litium et dispendiorum occasio adimaretur, transactum fuit debitorem esse dominum Andream Milani tamquam haeredem dominae Rosinae ducatorum 350, eidem societati Corporis Christi et, donec eamdem summam solveret depositando ipsam super sacrum Montem Pietatis, teneretur solvere quotannis quinque pro quocumque centenario, prout in praesens etiam solvit eidem societati – ut ipsem cappellanus asseruit – ita ut modo solutio annua consistat in ducatos decem et septem cum dimidio pro toto capitali, ex quibus societas sibi retinet ducatos tres pro legato a testatore sibi relicto; residuam vero summam exhibet quotannis eidem cappellano, a quo datur admodum reverendo domino archipraesbytero octo libras parvorum **[100]** pro Sacristia, ex conventione oretenus facta inter ipsam societatem et admodum reverendum dominum archipraesbyterum – ut ipsem cappellanus asseruit – ex quo fit ut sibi ex fructu eiusdem capitalis remaneant troni octoginta duo, pro quibus celebrari facit missas quinquaginta quinque per sacerdotem quem, ex consensu eiusdem cappellani, substituit idem praefatus dominus archipraesbyter, quas missas hucusque adimpletas asseruit, prout sibi constat ex libris sacristiae eiusdem plebis. Quae cum ordinate peracta fuerint, nihil super ipsis decernendum iudicavit praefatus reverendissimus dominus provicarius, sed tantummodo monuit eumdem cappellanum ut sollicite attendat ad hoc ut deinceps omnia ex mente testatoris procedant et ita et cetera, omni et coetera. Die 6 iunii 1742. [A margine: Cappellania Mainente e Donna Libera - vide in fine numero 6] Comparuit coram reverendissimo domino provicario generali reverendus dominus Iacobus Ferrari, cappellanus cappellaniae ad altare Sancti Vincentii in ecclesia Sancti Stephani nuncupatae Mainenti, electus a quondam reverendissimo domino Iosepho Bondurio, archipraesbytero eiusdem ecclesiae, **[100^v]** ut constat ex actu diei 27 aprilis 1688 exhibito et praesentato et, in obedientiam monitionis sibi factae occasione visitationis, praesentavit etiam libros duos exactionum reddituum eiusdem cappellaniae, qui observati fuerunt et pro eius impotenti aetate eos non bene tentos esse cognitum fuit et quosdam etiam processus decem octo pertinentes ad eamdem cappellam. Haec cappellania instituta fuit anno 1388 a domino Federico de Mainente ad supradictum altare antea constructum a domino Iacobo eius patre et dotata ad hoc ut ibidem unus sacerdos continuo celebret missas et alia divina officia, resservando iuspatronatus eligendi praesbyterum perpetuum maiori natu ex descendantibus institutoris per lineam masculinam et iam duobus antiquioribus clericis dictae ecclesiae institutione qui sint in sacris ordinibus constituti ac etiam duobus antiquioribus de maiori aestimo existentibus de parochia Sancti Stephani, cum conditione quod electio fiat spacio unius mensis et electus praesentetur domino archipraesbytero **[101]** dictae plebis ita ut, si intra idem spacium praesentatio ita facta non fuerit, supradicti cadant pro ea vice ab eo iure et tunc archipraesbyter, una cum clericis sui capituli in sacris ordinibus constitutis, eligant unum praesbyterum et confirmetur ipse ab archipraesbytero. Dos huius cappellae, quae ab eodem institutore donata fuit, describitur in eodem instrumento institutionis in actis Iacobi de Tessarolo, notarii et scribae episcopalis, exemplato a Nicolao de Sancto Victore notario, prout legitur in libro membranaceo exhibito praefato reverendissimo domino provicario ab ipso domino archipraesbytero ad paginam 3, ex quo etiam constat obligatio cappellani *ibidem celebrandi missas continuo et alia divina officia et debeat in dicta ecclesia Sancti Stephani et diurnis officiis pariter et nocturnis continuam facere ressidentiam, et domino archipraesbytero praestare obedientiam manualem, servatis quae in similibus servari consueverunt*. Idem altare donatum fuit alia cappellania instituta die 10 octobris anno 1444 ab onesta domina Libera filia quondam domini Nicolai **[101^v]** quondam magistri Petri quondam prudentis viri ser Antonii notarii de Quinto de Sancto Stephano, quae sepelliri iussit in monumento suo posito in coemeterio ecclesiae Sancti Stephani sub porticu dictae ecclesiae et ideo ipsa cappellania nuncupatur vulgo *de donna Libera*. Haec in suo testamento praedicti temporis in actis Ioannis Francisci draperii notarii et iudicis ordinarii et Gregorii de Righettinis notarii, exemplato a Nicolao de Sancto Victore notario in suprascripto libro pagina 6, legavit 400 ducatos aureos in tot fundis livellariis, qui ascendunt ad summam centum librarum de introitu, qui fundi assignentur rassoneriis, hominibus et contratae Sancti Stephani, qui incorporari debeant cum aliis fictis livellariis alias relictis per quondam dominam Faustinam quondam eius testaricis matrem, volens quod dicti rassoneri et homines, una cum haerede, reperire debeant unum idoneum sacerdotem et bonae vitae, qui omni die celebrare debeat unam missam ad altare sancti Vincentii pro anima sua et remissionem suorum peccatorum, cum facultate ipsis, simul et divisim, revocandi et cassandi praesbyterum, si insuficiens **[102]** et inhonestae vitae fuerit repertus. Successive comparuit reverendus

dominus Dominicus Gasparini, cappellanus confirmatus ad dictam cappellaniam *di donna Libera* sub die 7 mensis Iunii 1723, ut patet ex actu confirmationis factae ab admodum reverendo domino Hieronymo Patirani, archipraesbytero Sancti Stephani, exhibito et restituto et exposuit non alios sibi redditus superesse exigibiles nisi viginti quinque libras veronenses, quas solvit dominus Bartholomaeus Martineti Casolini; contentiosum vero esse livellum unius plaustri uvae et solidorum triginta quinque veronensium, pro quibus solvere deberent domini comites Ioannes et fratres de Veritate Poeta et alium livellum librarum octo veronenses, pro quibus tenerentur solvere Iacobus et fratres Danieli de Moruri, ac demum inexigibile omnino esse livellum librarum 48 veronensium quod, ut appareat ex libris antiquis, praestabat comes Gothardus Murari; utrum autem tantummodo hi redditus an alii etiam, quos exigit cappellanus cappellaniae Mainente effluxerint ex bonis relictis a supradicta *donna Libera* omnino ignoratur, praesertim |102^v| vero cum et policea aestimi altaris sancti Vincentii praesentata reverendo clero anno 1651 quam ipse dominus Gasparini exhibuit, confusi apparent redditus utriusque cappellaniae, prout etiam confusi sunt in libris exactionum, ut supra praesentatis a cappellano Mainenti et alio praesentato et restituto et cetera a cappellano *donna Libera*. Quapropter, cum instetisset supplex cappellanus iste cappellaniae *donna Libera* ut sibi assignaretur fructus suae cappellaniae, reverendus dominus Iacobus Ferrai praesens, considerans suam gravem exactionem omnium fructuum quos percipit et percipere potest ex eadem cappellania, illum faciens suum procuratorem perpetuum ad hanc rem specialem et obligans eumdem ad supendum pro missis iuxta onus sibi impositum, tradens etiam libros suprascriptos exactionum et processus presentatos, quae omnia acceptavit idem reverendus Gasparini, se obligans ad onus ut supra iuxta vires exactionis adimplendum et acta sunt praesentibus venerabili clerico domino Ioanne Baptista filio domini Valentini Nassimbeni et Benedicto filio quondam |103| Ioannis Baptistae Faci, ambobus de Sancto Rustico ad Pontem testibus rogatis. Die 12 iunii 1742, in aedibus superioribus palatii episcopalis. Vocatus coparuit coram illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo admodum reverendus dominus Hieronymus Patirani, archipraesbyter venerabilis plebis Sancti Stephani et reverendus dominus Marcus Trevenzoli, unus ex antiquioribus clericis institutione, altero domino Iacobo Ferrari clero antiquiore, non comparente propter gravem aetatem et excusato ad eius instantiam, una cum nobili et reverendo iuris utriusque doctore Aloysio Zini, uno ex antiquioribus de maiori aestimo existente de dicta paroecia, altero scilicet nobili domino Ioanne Stoppa de maiori aestimo propter eius convalescentiam non comparente et ut supra excusato, omnes habentes ius eligendi cappellanum ad cappellaniam Mainenti et praeterea comparuerunt vocati dominus Antonius Sartori sindicus et Carolus Coda rasonerius intus, altero rasonerio extra Antonio Romagnoli absente et ex instantia excusato, representantes homines et contratam Sancti Stephani tamquam ius habentes eligendi sacerdotem ad cappellaniam nuncupatam |103^v| *di donna Libera*, qui omnes admoniti fuerunt de mala administratione respectivarum huiusmodi cappellaniarum, prout etiam ipsis alias constitit, praesertim cum ob impotentiam et gravem aetatem reverendi domini Iacobi Ferrari cappellani Mainenti quotidie magis inexiginiles reddantur fructus, cui accedit quod redditus utriusque cappellaniae ita inter se confusi remaneant, ex negligentia eorum qui possederunt ipsis, ut fieri non possit congrua et iuxta assignatio respective ad ipsis cappellanias et onerum respective ad cappellanos, qui redditus utriusque cappellaniae, inter se uniti, vix sufficiunt ad congruum patrimonium unius sacerdotis, quapropter idem illustrissimus et reverendissimus praesul tamquam in visitatione, prout sibi resservavit, eos omnes et singulos monuit, et monitos voluit ad hoc ut pro eorum obligatione quovis iuris remedio huic negotio consulant, ne piae defunctorum voluntates defraudentur. Quibus – eo obsequio quo decet – auditis, suprascripti admodum reverendus archipraesbyter et electores harum duarum cappellaniarum, considerantes |104| difficultatem separandi redditus utriusque cappellaniae et assignandi competens onus utrique cappellano, prout ab ipsis alias fieri non potuit, quamvis diligentiam ad id adhibuerint, considerantes etiam redditus in dies magis minui ex divisione harum cappellaniarum, qua fit ut beneficiariis utrisque modica summa redditum contingat, omnes unanimiter humilime suam dominationem illustrissimam et reverendissimam supplicaverunt ut ipse, sua auctoritate, dignetur consulere statui harum cappellaniarum, etiam – si eidem libuerit – ipsis uniendo, ita ut quidquid factum decretumque ab eorum illustrissimo et reverendissimo praesule fuerit ratum firmumque habebunt, salvo iure iisdem competenti quoad electionem praesbyteri instituendi in iisdem cappellaniis uniendis et respective confirmandi ab admodum reverendo domino archipraesbytero plebis. Illustrissimus et reverendissimus dominus dominus episcopus, antedictis supplicationibus ut supra porectis annuens, ambas cappellanias supra scriptas, nempe primam nuncupatam Mainente et alteram |104^v| nuncupatam *di donna Libera*, decrevit uniendas et incorporandas prout sua auctoritate ordinaria omniq[ue] alio meliori iure quo potuit univit, annexit et incorporavit cum omnibus earum iuribus, redditibus et proventibus, ita ut in titulum unius cappellaniae habeatur, sine tamen praeiudicio cappellanorum existentium, quoad vixerint, ita tamen ut, altero cedente vel

decedente, superstes cappellanus sit et censeatur cappellanus ambarum possitque redditus utriusque cappellaniae legitime percipere et teneatur onera earumdem adimplere, salvo iure eligendi et respective confirmandi ut in supplicatione antedicta, resservans sibi reductionem onerum iuxta vires reddituum et ita et cetera, omni et cetera. Ioannes episcopus veronensis.

Acta fuere praemissa omnia et singula et publicata per me infrascriptum coram illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo, anno, mense, die et loco de quibus antea; praesentibus reverendo domino Antonio Presi filio Dominic, sacerdote de Castro Cerino et Benedicto Faccio filio quondam Ioannis Baptista de |105| Sancto Firmino ad Pontem huius civitatis testibus et cetera. Die 14 Iunii 1742. [A margine: Pro Legato Alici] Comparuit vocatus admodum reverendus dominus Hieronymus Patirani, iuris utriusque doctor, archipraesbyter venerabilis plebis Sancti Stephani coram reverendissimo domino provicario generali episcopali ac super legato Alici exposuit Franciscum Alici, olim incolam eius paroeciae, in suo testamento diei 29 maii 1642 in actis domini Caroli Corubioli notarii, legasse venerabili predictae eius plebi unum capitale ducatorum centum decem, tunc investitum in bonis Tadei Pigari Nigrarii, cum onere archipraesbytero iniuncto faciendi celebrari missas decem quotannis iuxta suam intentionem in eodem testamento expressam, prout constat ex punto eiusdem testamenti descripto in libro exactionum eiusdem plebis foris inscripto “Scodarol Signoretti” pag. 223, exhibito et restituto. Anno 1715 – ut appareat ex alio libro foris inscripto “1712 “Officiatue Santo Steffano” pagina 7, exhibito et restituto – successit Pigaro Raphael Ronchetta Piscantinae ac denique huic successit anno 1723 dominus Hieronymus Simeoni de Ponte Petrae, |105'| prout constat ex instrumento cessionis diei 6 augusti eiusdem anni in actis domini Ioannis Baptista Seriati notarii, viso et restituto. Nunc vero, mortuo eodem domino Hieronymo Simeoni, eius heredes tenentur solvere, qui tamen, dum haereditas questionibus iudicialibus est subiecta, solutiones differunt. Caeterum, annuatim percipere debet ecclesia pro eo capitali tronus 34.2. Huc usque onus missarum omnino impletum fuisse probavit ipse admodum reverendus archipraesbyter, prout constat ex praefato libro *Officiature*, pagina 1. [A margine: Anichina] Successive, quoad legatum Anichini, exposuit sibi non constare a quo vel quando illud institutum fuerit, sed tantummodo apparere, ex supra recensito libro Signoretti pagina 210, teneri Simonem quondam Leonardi Anichini solvere quotannis libras 18.2.6 veronenses, prout constat ex locatione ibidem relata anni 1628 diei 4 aprilis in actis domini Ioannis Baptista Baghata notarii, unius petiae terrae in pertinentia Celoris de Cisano in contrata de Legnano, pratiae cum olivis circa trium quarteriorum, cum confinis ibidem descriptis. Successit Leonardo Anichino dominus |106| Petrus Corradi anno 1714, ut legitur in libro *Officiature* et cetera pagina 3; domino autem Petro Corradi successit anno 1719 dominus Xaverius Piat, qui hucusque adimplet solutionem; pro quo livello tenetur dominus archipraesbyter, ut expressum est in libro Signoretti supra, celebrare aut facere celebrari missas decem singulis annis, iuxta consensum praestitum ab illustrissimo et reverendissimo Alberto Valerio, tunc temporis hic Veronae episcopo; quod onus huc usque adimpletum fuisse constat ex eodem libro *Officiature* et cetera, pagina 3. [A margine: Pro legato Lisca] Exposuit legatum Lisca derivare ex instrumento cessionis diei primae iulii 1617 in actis domini Andreae patris et Hieronymi eius filii de Bonis, exemplato in forma autentica a domino Pace Zenario notario; quod instrumentum exhibuit et restitutum ipsi fuit. In ipso instrumento excellentissimus dominus dominus Julius Caesar filius quondam nobilis domini Aloysii de Lischis de Mercato Novo, agens etiam nomine suorum fratribus et nepotis, cessit venerabili plebi Sancti Stephani duo capitalia singula ducatorum 50, quorum primum erat investitum in bonis nobilis domini Tebaldi de Bandis de Santo Vitale, alterum in bonis domini Galeatii de Zanatis aromatarii ad insignam |106'| Angeli de Sancta Maria Antiqua, pro quibus tenebantur solvere in ratione sex pro centenario ex capitali investito in bonis Zanata, ex tempore immemorabili nihil exactum fuisse apparent; at capitale de Bandis affrancatum fuit die 9 iunii 1708, prout constat ex copia depositi eiusdem capitalis facti supra sacrum Montem, exemplatam a libro depositorum signato XXXX pagina 226, quod deinde investitum fuit, die scilicet 25 iunii 1710, cum instrumento emptionis cum locatione in actis Ioannis Bernardi notarii in bonis Antonii quondam Bartholomaei Iustini de Castrorupto, cum obligatione solvendi fructum in ratione quatuor cum dimidio pro centenario ac demum remanet investitum apud reverendum clerum huius civitatis, ut appareat ex instrumento exhibito et restituto diei 27 maii 1740 in actis domini Antonii Alexandri notarii, in ratione trium pro centenario. Quapropter ad praesens redditus huius legati reddacti sunt ad unum ducatum cum dimidio. Verum, cum nobiles predicti de Lisca, cedentes ecclesiae Sancti Stephani predictum capitale ducatorum centum, imposuerint obligationem archipraesbyteri pro tempore celebrandi vel celebrari faciendi ad |107| altare beatae Mariae Virginis in dicta ecclesia die lunae – ut in instrumento asseritur – privilegiatum unam missam eadem die in singulis hebdomadibus, dummodo celebrari possint missae pro mortuis; quae, si celebrari non possit, aliqua die lunae absolvuntur pro ea die ab huiusmodi obligatione, prout per tres alias dies lunae, quamvis missae huiusmodi

celebrari possint, liberantur ab eadem obligatione neque ullo modo redditus praesentes sufficient ad ferendum onus ita impositum, supplicavit idem admodum reverendus archipraesbyter ut praedictus reverendissimus dominus provicarius generalis omni meliori iure quo possit opportunum remedium decernat, ad hoc ut et cetera; aliter protestatur se se renunciaturum huic legato, quo casu se ipsum submittit decreto cuicunque faciendo, etiam si extra eius ecclesiam alias transferendum sit. Reverendissimus dominus provicarius generalis, audita expositione admodum reverendi domini archipraesbyteri antedicti, visis monumentis ab ipso productis, considerata imminutione dimidiae partis capitalis cessi a nobilibus de Lisca in supra citato instrumento cessionis secuta, ut appareat statim post factam ipsam cessionem, considerata |107| etiam imminutione redditus residui capitalis, sua auctoritate ordinaria et omni meliore iure quo potest decrevit celebrandas fore et esse sex tantum missas ferales diebus lunae in quo possunt celebrari missae pro mortuis iuxta ritum ecclesiae, ita tamen ut, si fieri poterit, ut recuperetur altera pars capitalis de qua pro nunc nihil exigitur vel, si augeantur fructus eius capitalis quod investitum est apud reverendum clerum, augeatur etiam numerus missarum, prout canonice decretum fuerit, onerans interim conscientiam admodum reverendi domini archipraesbyteri ut, omni adhibita diligentia, curet alteram partem capitalis ut supra cessi recuperare et ita et cetera, omni et cetera. [A margine: Pro officiatura Cristati] Die 15 iunii 1742. Iterum comparuit admodum reverendus dominus archipraesbyter antedictus coram reverendissimo domino provicario generali et exposuit circa officiaturam Cristata adhibitam a se fuisse omnem diligentiam ut cognosceret eiusdem institutionem nihilque relevare se potuisse nisi quod nobiles viri fratres Zenobii, patricii veneti, solvunt suae ecclesiae quot annis libras 27.18 denariorum veronensium, pro quibus in libris exactionum, quos exhibuit quique eidem restituti fuerunt, |108| describitur obbligatio faciendi celebrari missas viginti quatuor; verum cum, celebratis viginti quatuor missis, tantum remaneat pro sacristia tronus unus et marculi quatuor, qui non sufficiunt pro ceris et usu paramentorum iuxta consuetudinem, idem admodum reverendus dominus archipraesbyter alternative quotannis celebravit missas 22 et 23, ita ut pro sacristia sibi retinuerit singulo biennio tronus sex et marculos quindecim. Quapropter, cum non constet de quantitate missarum in institutione taxata cumque providendum sit sacristiae pro sustinendo onere celebrationis, probavit idem reverendissimus dominus provicarius generalis distributionem et numerum huiusmodi missarum, donec apparere possit precisum onus institutum, quo casu canonica reductio erit impetranda et ita et cetera. [A margine: Pro officiatura Chiechii] Idem reverendus dominus archipraesbyter exposuit nullam aliam notitiam se habere institutionis officiaturae Chiechii nisi illam quae descripta est in epigraphe in columna in cornu evangelii altaris sanctae Mariae Angelorum seu sancti Iosephi, in qua legitur dominum Ioannem Baptistam Chiechii capitaneum legasse onus trium |108| missarum singulo mense; anno 1643 die 5 novembris capitale relictum huic oneri subiectum investitum est apud reverendum clerum huius civitatis et fortasse ab ipsomet institutore Chiechii, ut eruit ex instrumento diei 27 maii 1740 in actis domini Antonii Alexandri notarii, exhibito et restituto. Huius capitalis quantitas consistit in ducatis 200, ex quibus olim – ut appareat ex libro supra recensito *Officiature* et cetera pagina 6 – percipiebatur fructus in ratione sex pro centenario, deinde in ratione quatuor cum dimidio ac demum ex anno 1740 – prout ex citato instrumento 27 maii – non percipitur nisi in ratione trium pro centenario, ita ut fructus sint sex ducatorum. Quapropter, cum non sufficient ad sustinendum onus trium missarum in singulo mense, supplicat ut, interpretando voluntatem piam huiusmodi constituentis, reducatur ipsum onus iuxta vires reddituum, aliter protestatur se renunciaturum hanc officiaturam utpote redactam ad conditionem impossibilem. Reverendissimus dominus provicarius antedictus, supplicationibus annuens, decrevit ut alternatim celebrentur missae 22-23 quotannis et quod superest eleemosynis manualibus triginta solidorum |109| pro quaque missa assignetur sacristiae; quod, si fructus augeri contigerit, augeatur etiam numerus missarum iuxta institutionem et ita et cetera. [A margine: Pro officiatura Suppini in edicula Terralei] Exhibuit praedictus admodum reverendus dominus archipraesbyter librum inscriptum foris “B – Liber locationum ecclesiae Sancti Stephani Veronae” in quo a pagina 71 scriptum est instrumentum cessionis capitalis ducatorum 250, investiti apud reverendum clerum et in quo describitur obligatio iniuncta pro eodem capitali, quae consistit in celebrare omni die sabbathi et diebus festis beatae Mariae Virginis unam missam ad altare beatae Virginis in edicula Terralei, applicando sacrificium pro nobili Bernardino Supino gubernatore. Concessit instituto domino archipraesbytero facultatem exigendi fructum eiusdem capitalis et eligendi sacerdotem ad huiusmodi celebrationem, cum onere dandi eleemosynas cappellano electo et quidquid erit neccessarium pro facienda eadem celebratione. Instrumentum ut supra exhibitum et restitutum est diei 12 augusti 1650 in actis domini Caroli notarii. Olim fructus huius capitalis – ut constat ex supra relato libro *Officiature* et cetera pagina 7 – erat in ratione sex pro centenario, deinde ab anno 1694 redactum fuit ad quatuor |109| cum dimidio ac demum die 27 maii 1740, ut in instrumento suprascripto in actis domini Antonii Alexandri notarii, ad tria reductum fuit. Quapropter

non exiguntur hodie nisi troni 46 cum dimidio qui, cum non sufficient ad sustinendum onus missarum, supplicavit ut onus ipsum reducatur, aliter et cetera. Reverendissimus dominus provicarius generalis, considerata institutione huius officiatura, considerata diminutione reddituum, decrevit ut celebrentur diebus sabbathi quotannis missae viginti octo, retenta ab archipraesbytero pro sacristia summa tronorum 4.10, dummodo rite provisum fuerit de paramentis aliisque pro huiusmodi celebratione, cum conditione quod, si accrescant fructus, accrescat etiam numerus missarum, canonica auctoritate decernendus et ita et cetera. [A margine: Pro anniversario da Prato – Vide in fine numero 7] Comparuit praefatus admodum reverendus dominus archipraesbyter Sancti Stephani coram reverendissimo domino provicario generali et exhibuit fundamentum anniversarii relieti a quondam domina Flaminia vidua quondam domini Augustini da Prato, quae morabatur in paroecia Sancti Stephani, quod fundamentum consistit in puncto praesentato eius testamenti diei 2 septembris 1621 in actis domini Iacobi Verdelii notarii, descripto |110| in libro foris scripto “1630”. Ibidem praedicta domina Flaminia legavit ecclesiae Sancti Stephani annuos ducatos sex, obligans suos heredes universales ad huiusmodi legatum perpetuo praestandum, cum facultate ut se possint affrancare de eadem praestatione, cum onere iniuncto archipraesbyteris pro tempore faciendi celebrari quot annis unum anniversarium missarum 24 cum solitis precibus et orationibus in die eius depositionis, quae – ut constat ex supra relato libro aliaque foris inscripto *Officiature* et cetera pagina 4 – accedit die 16 septembris. Apparet ex libris eiusdem ecclesiae fuisse cessum eidem ab haeredibus dominae Flaminiae ius exigendi a venerabili monasterio Sancti Georgii libras 27.18 veronenses, quae faciunt tronus 37.4, sed non appareat quo iure aut qua causa huiusmodi cessione facta fuerit, quae est minor valoris legati relieti, ex quo factum est ut ab archipraesbyteris antecessoribus praesentis non viginti quatuor missae, sed sexdecim tantummodo in hoc anniversario celebratae fuerint, cuius restrictionis numeri missarum non appetat canonica reductio; sed, cum praeter eleemosynas |110v| sexdecim missarum que conficiunt summam tronorum 24, duae eleemosynae duplices, iuxta consuetudinem veronensis ecclesiae observatam in officiis et anniversariis, erogandae sint archipraesbytero et curato, quae valent tronus tres et duodecim ressidentes de more adhibendi sint, stante dispositione testatrix, quae praecepit praeter missas, solitas preces et orationes esse dicendas, quorum decem singulis dantur marculi decem duobus; verum caeteris, scilicet archipraesbytero et curato viginti, illis addendi sunt septem troni, ex quibus coalescit summa tronorum 34; unde pro sacristia, cereis et intortatio accenso dum peragitur anniversarium, non remanent nisi troni tres et solidi quatuor; quare, ut hic modus celebrandi huius anniversarii probetur, qui praessumi potest canonice etiam redditus, supplicavit idem admodum reverendus dominus archipraesbyter. Reverendissimus dominus provicarius generalis, consideratis omnibus supra productis ac praesertim consuetudine veronensis ecclesiae, decrevit ut deinceps eodem modo celebretur idem anniversarium, donec eius legati conditio |111| melior fieri poterit, quo casu si id contingat monuit ut augeatur numerus missarum, interposita auctoritate canonica et ita et cetera, omni et cetera. [A margine: Pro officiatura ad altare Spiritus Sancti] Idem admodum reverendus archipraesbyter exposuit sibi, quamvis omnem diligentiam adhibuerit occasione litium pro redditu annexo officiatura ad altare Sancti Spiritus, constare non potuisse de eius institutione, sed tantummodo scriptum esse in libro *Officiature* et cetera pagina 8 – quem exhibuit – adesse onus celebrandi missas quacumque die lunae ad idem altare; quod, cum alias dotatum fuerit a quondam domino Bernardino Scaramuccia aliis redditibus – ut appetat ex libro foris scripto “1616” Signoretti pagina 121, viso et restituto – fortasse coniici potest officiaturam ipsam relictam fuisse ab eodem Scaramuccia. Olim eius redditus erant ducatorum 15, ut notatum fuit in libro praedicto *Officiature* et cetera, sed modo non exiguntur nisi ducati 12, quorum appetat debitores fuisse primum dominum Antonium Benaglio, ut ex eius policea praesentata in cancellaria estimi anno 1652 28 maii, in qua declaravit se teneri solvere perpetuo |111v| capellae Sancti Spiritus in ecclesia Sancti Stephani ducatos 12, fundatos supra possessionem Albareti de Gardesana. Nunc solvit eamdem summam ducatorum 12 dominus Ioannes Baptista Serpe, qui successit illis de Benaglio uxorio nomine a quo, cum anno 1635 die 16 martii intentaretur eius livelli affrancatio, deponendo supra sacram Montem capitale, dominus archipraesbyter se illi ita opposuit ut depositum a domino Serpe factum e sancto Monte ipse Serpe recuperavit et deinceps non recusavit livellum solvere. Adimpletum oneri a se fuisse asseruit idem dominus archipraesbyter, quamvis vix redditus sufficient, cum pro sacristia provisum satis fuerit a Scaramucia, ut supra. [A margine: Pro officiatura Zaghetti ad altare sanctae Placidiae] Item dominus archipraesbyter exposuit nullum sibi constare monumentum institutionis officiatura sanctae Placidiae, quamvis in libro “Signoretti” praefato, pagina 205, innuat illam esse perantiquam, in quo citantur instrumenta ad eam pertinentia anni 1585, quae tamen non inveniuntur, id quod dilucide appetat, ex eodem libro, exigui valoris eam fuisse; nam describuntur duo livelli subiecti huic officiatura: alterum librarum 27.18, alterum librarum 6.19.6. Exinde anno |112| 1707 die 19 septembris dominus Julius Zamperini, successor fortasse eorum qui solvebant praedictos livellos, depositit

supra sacrum Montem Pietatis capitale ducatorum 100, ut asseruit, debitorum cappellae sanctae Placidiae seque affrancavit, ut constat ex actu autentico depositi eiusdem diei et anni exhibito et restituto. Die 14 maii 1709 capitale ipsum, ex decreto vicarii praetorii exhibito et item restituto, investitum fuit in bonis domini Iosephi Zambelli seu – ut constat ex libro praedicto *Officiature* et cetera pagina 12 – in bonis domini Iosephi Bonduri, ad solvendum quot annis sex seu quatuor pro centenario; nam in eodem libro descriptum est sex, deinde quatuor. Verum, cum hereditas domini Bonduri contentiosa facta fuerit, nihil constat exactum fuisse hucusque; asseruit tamen dominus archipraesbyter quamprimum solutum esse dominum Iosephum Zambelli, cui bona Bonduri pervenerunt, cum onere solvendi afflictum huius capitalis. Quare statim ac ipse exiget residuos afflictus et currentes satisfaciet celebrando vel celebrari faciendo tot missas quot celebrari poterunt ad valorem eleemosynae manualis triginta solidorum. Quibus expositis, reverendissimus dominus provicarius generalis monuit admodum reverendum dominum archipraesbyterum ut exhibeat autenticum instrumentum investiturae pro relevanda quantitate afflictus et pro relevanda persona et bonis debitoris ac insuper, quando sedactis litibus et contentionibus, debitor praestabit afflictum et solvet pro residuis, doceat de quantitate exacta et exigenda, ad hoc ut decernatur modus adimplendi huius oneris et ita et cetera, omni et cetera. [A margine: Pro officiatura Buri – Vide in fine numero 8] Die 18 iunii 1742. Coram reverendissimo domino provicario generali comparuit dominus Ioannes Baptista Patirani iuris utriusque doctor et, nomine reverendi domini Bernardini Patirani eius fratri, cappellani electi ad officiaturam relictam a quondam nobili domino Caesare Buri in suo testamento 2 aprilis 1630 in actis domini Ioannis Francisci Rotari notarii enunciato in instrumento assignationis 30 aprilis 1653, in actis domini Ioannis Trecio notarii descripto in libro foris “B – Liber locationum ecclesiae Sancti Stephani” pagina 75 et ostendit instrumentum electionis sui fratris praedicti diei 21 martii 1716 in actis domini Ioannis Baptiste Girlanda notarii, quod postea fuit restitutum. Ex duobus supra recensitis instrumentis assignationis |113| et electionis appareret nobilem dominum Cesarem Buri hanc officiaturam instituisse, agravans suos haeredes ad depositandum supra sacrum Montem Pietatis ducatos 600 ut investiantur ratione sex pro centenario, ad hoc ut sacerdos ab ipsis electus tres missas celebret singulis hebdomadibus ad altare beatae Mariae Virginis, ex quibus appareret male assertum fuisse in visitatione altaris beatae Mariae Virginis duas esse officiaturas: unam Buri et alteram Rambalda. Eius voluntas executa non fuit quod depositum ut supra ordinatum, sed cum eiusdem haereditas, pervenerit pro medietate in nobilem dominam Cassandram Buri uxorem nobilis domini equitis Ioannis Francisci Rambaldi, pro altera autem medietate in dominam Andrianam Buri viduam quandam nobilis domini Augustini Montenari, cui successit nobilis domina comitissa Adriana Venera uxor nobilis domini comitis Ludovici de Veritate, Sancti Pauli de Campo Martio. Praedicta domina Cassandra Rambalda assignavit et cessit admodum reverendo archipraesbytero et eius ecclesiae Sancti Stephani in perpetuo unam domum descriptam in praefato instrumento 1653, cum onore et honore pro qua tunc condutor solvebat annuatim ducatos viginti. At vero |113^v| nobilis domina Adriana de Veritate pro altera sua medietate cessit et assignavit cum onore et honore unum livellum librarum 14.12 veronensem, pro quo solvebant comes Octavianus et fratres Negroboni; alterum minalium novem frumenti solvendum a comite Antonio Ceschi; tertium minalium duorum et librarum duarum veronensem, pro quo tenebantur solvere Ioannes Petrus Baccilieri; quartum librae unius et solidorum 19 veronensem a sancta Domo Pietatis et minalium duorum frumenti a copula Salvanea Coloniolae, cum promissione manutentionis eiusdem dominae Adrianae cedentis ac praeterea unam partem domus cum praedictis livellis descriptam in praefata electione 1716, tunc afflictatam pro ducatis sex, quae erat pars domus cessae iam a Rambalda, ibidem iterum nominatae. Ex omnibus his capitalibus ut supra assignatis, asseruit praedictus dominus Ioannes Baptista Patirani non exigi fructus nisi e domo cessa a domina Rambalda, quae nunc conductitur a domino Ioanne Baptista Bonvicino pro ducatis 18, pro qua annuatim solvendus est unus ducatus magnifica civitati pro usu fontanae et tronus 4 fontanarum restauracioni, praeter reparaciones occurrentes |114| et etiam ab alia parte eiusdem domus afflictata Ioanni Baptista Montagna pro ducatis quatuor, nec non ex livellis Negrobono, Bacilieri, Sancta Domus, Copulae Salvaneae; at reddi inexigibile livelum Ceschi; nam ex capite fideccomissi comitis Ceschi renunt solvere pro eodem, neque e contra inveniri possunt inter scripturas officiaturae fundamenta quibus compelli possint ipsis de Ceschis ad solvendum. Afferuit etiam instetisse extrajudicialiter apud supradictam dominam Adrianam Veneriam de Veritate, dum viveret, ut supereret pro defectu huius livelli responsumque sibi fuisse ipsam non teneri dum esset haeres quondam domini Caesaris Buri cum legali beneficio ac tandem ipsa defuncta, cum eius filii repudiaverint ipsius haereditatem non posse ipsos conveniri ad supplendum. Quapropter supplicavit ut decerneretur quotannis tot missas esse celebrandas quot celebrari poterunt ex fructibus capitalium ut supra fructantium, detractis oneribus et impensis occurrentibus, computata eleemosyna singulae missae ad valore triginta solidorum et cetera.|114^v| Reverendissimus dominus

provicarius generalis, uti supplicatum est ita decrevit, ad hoc tamen missae celebrarentur a cappellano quot ex redditibus celebrari poterunt ad valorem eleemosynae triginta solidorum pro quaque missa, monens eumdem cappellanum ut omnem diligentiam adhibeat ad recuperandum, si fieri poterit, livellum Ceschi, onerans eius conscientiam rationem reddituri aeterno Iudici in die Iuditii et ita et cetera, omni et cetera. [A margine: Mainenti et donna Libera – vide in fine numero 6]. Die 19 iunii 1742. Coram reverendissimo domino provicario generali comparuit reverendus dominus Dominicus Gasparini, cappellanus electus cappellaniae *donna Libera* nuncupatae, ad altare sancti Vincentii in plebe Sancti Stephani et faciens etiam procuratorio nomine reverendi domini Iacobi Ferrari rectoris cappellaniae Mainenti ad idem altare, exposuit, ex quo accepit libros et processus cappellaniae Mainente a praedicto reverendo Ferrari, scilicet die 6 huius mensis, usum fuisse diligentia ut rellevareret fructus exigibles et inexigibles eiusdem cappellaniae et cognovisse eos esse qui describuntur in pollicea a se modo praesentata, librarum scilicet |115| centum trium et solidorum sex veronensem; minalium octo frumenti et duarum bacatarum olei, qui fructus apparent exigibles. E contra vero inexigibles apparent librae decem solidi decem et septem cum denariis sex veronensibus et unum minale frumenti. Praeterea exposuit ex cappellania de *donna Libera* extare exigibles fructus, ut docuit iam ex pollicea praesentata die 17 maii, scilicet librarum viginti quinque veronensem, unius plustri uvae et solidorum triginta quinque veronensem, quod tamen et quos contendunt solvere comites Ioannes et fratres de Veritate Poeta et librarum quindecim pro quibus tenentur fratres Danieli de Morurio; fructus vero inexigibles sunt librae quadraginta octo veronenses, quas solvere deberent successores comites Gottardi Murari, a quibus cum eius hereditas repudiata fuerit cumque cappella fundamenta non habeat quae doceant de fundis obligatis, videtur omnino livellum huiusmodi redactum esse inexigibile. Igitur si uniantur redditibus qui assignati fuerunt cappellano Mainente illis quos assignatos possidet cappellanus |115^v| *donna Libera*, coalescit summam in totum tronorum tercentum viginti septem marcotorum tresdecim, compraehensis in iis fructibus qui contenduntur a comitibus de Veritate Poeta et a Danieli de Morurio, qua propter ipsem reverendus Gasparini supplicavit ut, attenta pia dispositione intitutorum harum cappellaniarum, attenta etiam unione facta ab illustrissimo et reverendissimo domino domino episcopo die 12 huius mensis, habito respectu onerum pubblicorum, scilicet pro decimis tronorum 34.2 monetae currentis pro cappellana Mainente et tronorum 37.4 monetae similis pro decimis pro cappellania *Donna Libera* nec non tronorum decem et octo circiter pro terminis reverendo clero pro utraque cappellania ac considerata obligatione manutenendi altare, reducantur missae iuxta vires eorumdem reddituum et ita et cetera. Supplicavitque insuper ut decernatur conficiendum esse inventarium suppelletilium altaris sancti Vincentii eaeque rectori pro tempore servandae et custodiendae consignentur iuxta comparitionem quam diei 15 iulii 1740 in filio scripturarum huius curiae existente, ad quam et cetera et ita et cetera. |116| Reverendissimus dominus provicarius generalis et cetera, visa et intellecta instantia supradicti reverendi domini Dominici Gasparini, agentis etiam procuratorio nomine reverendi domini Iacobi Ferrari, considerata etiam supplicatione admodum reverendi domini archipraesbyteri Sancti Stephani et electorum huiusmodi officiaturarum facta sub die 12 Iunii currentis, qua se se remiserunt iudicio illustrissimi et reverendissimi domini domini episcopi, ita ut quidquid factum decretumque ab eodem fuerit, ratum firmimque se habituros promiserunt, considerato valore reddituum utriusque officiatura, sub eodem die in unum benefitium unitae nec non oneribus in earum respectiva institutione supra recensita descriptis, de mandato etiam speciali suaemet illustrissimae et reverendissimae dominationis, decrevit ac declaravit praesbyterum rectorem pro tempore eiusdem benefitii ut ante uniti celebrare tot missas quot ex iisdem redditibus poterit celebrare, assignata eleemosyna triginta marcotorum pro quaque missa, ita tamen ut singuis diebus festis ab eodem missa celebretur et aliae dispergiantur cum proportione per hebdomadas in diebus ferialibus, declarando ex summa reddituum primo gravamina esse detrahenda, deinde duo ducati annuatim impendendi pro altaris manutentione; |116^v| decrevit praeterea ut imediate conficiatur inventarium omnium et quarumcumque suppelletilium eiusdem altaris illaeque reverendo rectori consignentur, ad hoc ut ab ipso serventur et custodiantur atque de iisdem rationem, quotiescumque occurrerit, reddat et reddere possit et ita et cetera, omni et cetera. [A margine: Pro cappellania Sanctae Mariae a Nive in Sancti Petri in Castro – vide in fine numero 9]. Die 17 decembris 1742. Coram reverendissimo domino provicario generali comparuit vocatus reverendus dominus Ioseph Sancassani, electus rector parochialis ecclesiae de Novaleis, ad hoc ut super informatione ab ipso exhibita die 30 aprilis huius anni parendo decreto habito in visitatione sui benefitii existentis in ecclesia Sancti Petri in Castro, dicat quidquid ex eius conscientia scit et cognoscit super redditibus eiusdem cappellaniae seu benefitii; et interrogatus utrum omnia quae ipse in sua superioris recensita informatione descriptsit sibi ut vera constent, respondit omnino sibi de veritate constare. Verum, aliquem redditum ex eodem beneficio aliquando exigere et a quibus, respondit nullum a die sua possessionis

redditum ex hoc beneficio exegisse. Interrogatus utrum cognoscat fundos aut capitale aliquod |117| obnoxium ipsi beneficio, respondit se iam praesentavisce omnia documenta, quae sibi consignata iam fuerant, ex quibus tamen nunquam potuit cognoscere, quamvis diligentiam adhibuerit, qui sint debitores eiusdem cappellaniae aut qui fundi eidem sint obnoxii. Interrogatus utrum sciat antecessores suos aliquid exegisse et a quibus, respondit: "Audivi ex fama vacasse quinquaginta annis circiter hoc beneficium, ex qua vacatione fortasse eius redditum memoria et cognitio deperiit; deinde meus antecessor reverendus dominus Franciscus Pederzoli eam paucis mensibus possedit neque tamen ex ipsas aliquid exegit, ut postea relatum mihi fuit". Interrogatus an id quod depositum iureurando affirmare possit, respondit: "Cum sint omnino vera quae deposui, proprio iuramento affirmare promptus sum" et ita iuravit ad suam Dominationem e tactis et cetera. Reverendissimus dominus provicarius generalis et cetera, stantibus rebus prout stant et donec certa cognitio haberi possit redditum huius beneficii Sanctae Mariae a Nive de Carbonensibus nuncupati, decrevit ipsum nullo modo recipi posse pro titulo vel |117| pro tituli parte cuicumque clero et, cum reverendus dominus Ioseph Sancassani electus sit ad parochialem ecclesiam de Novaleis, hoc beneficium, quando eius possessionem adeptus fuerit, subrogandum esse et fore pro titulo sui patrimonii loco suprascriptae cappellaniae et ita et cetera, omni et cetera. [A margine: Pro cappellania Sanctae Mariae ab Angelis – vide in fine huius libri numero 10] Die 14 februarii 1743. Comparuit in cancellaria episcopali coram reverendissimo domino provicario generali reverendus dominus Antonius Pesaro, sacerdos cappellanus perpetui simplicis beneficij ecclesiastici sine cura, cappellania nuncupati, sub invocatione sanctae Mariae ab Angelis in plebe Sancti Stephani Veronae et praesentavit litteras patentes suaue institutionis diei 6 septembris 1719, inherentes praelectioni eius factae per admodum reverendum dominum archipraesbyterum, Sindicum et rasonerios contratae Sancti Stephani nec non per spectabilem dominum priorem collegii dominorum notariorum huius civitatis, quibus addiectus est actus possessionis diei 16 eiusdem mensis, qui acti, ut supra exhibiti, autentici observati sunt et restituti. Haec cappellania instituta fuit anno 1563 die 22 maii a venerabili domino Daniele a Monte, ut constat ex instrumento in actis domini Iulii Rainaldi de Bonsignoriis notarii, quod legitur in libro in pergamina |118| exhibito antea ab admodum reverendo domino archipraesbytero eiusdem plebis Sancti Stephani ad paginam 21. Supradictus institutor huius cappellaniae donavit ducatos 400 de grossis 31 venerabili cappellae sanctae Mariae ab Angelis erectae in praedicta plebe cum obligatione cappellano eligendo, ut infra personaliter, celebrandi ibidem omnibus diebus festis de paecepto et diebus iovis et sabbathi pro anima ipsius donatoris et faciendi celebrari in die anniversario mortis eiusdem donantis quot annis missas decem dicendique nocturnum. Obligavit praeterea ut per se ipse cappellanus ita officiaret in dicto altari ut, si absque licentia domini archipraesbyteri abesset ab officiando ultra spacium dierum octo, privaretur ab investitura dictae cappellae. Quibus obligationibus addidit aliam interessendi divinis officiis celebrandis in dicta ecclesia, sub pena, in casu absentiae, solvendi archipraesbytero libras tres denarioru, quo casu inservient pro paramentis et cetera. Declarvit insuper, si aliquando gravaretur haec cappella aliquo gravamine decimarum et cetera, in tali casu convertendos reditus in dotando duas iuvenes pauperes nubiles bonae vitae, conditionis et famae, dando unicuique earum in dotem dimidiam dicti introytus et hoc omni anno |118| usque in infinitum. Electionem mandavit faciendam per dominum archipraesbyterum, per sindicum et rasonerios contratae Sancti Stephani ac per priorem venerabilis collegii notariorum Veronae, cum conditione si praefatus dominus archipraesbyter in termino octo dierum personaliter adesse ad talem electionem, ut supra faciendam, non putuerit, tunc loco illius per reverendum dominum archipraesbyterum sanctae Congregationis una cum supradictis aliis sit facienda. Confirmationem vero omnino ad archipraesbyterum Sancti Stephani privative quoad omnes alios ita declaravit spectare ut, si aliter fiet, ipso iure non valeat. Investituram capitalis et exactionem redditum voluit faciendam per praedictos dominos archipraesbyterum, sindicum et rasonerios Sancti Stephani et dominum priorem notariorum vel, loco archipraesbyteri praefati absentis, per dominum archipresbyterum sanctae Congregationis. Ex redditibus huius officiaturae supersunt duo tantummodo capitalia, alterum scilicet quod investitum est in bonis Augustini Ogliosi quondam Francisci, existentibus in pertinentia Castri Novi super possessionem nuncupatam *la Campagna Rossa*, prout constat ex actibus cancellariae extimi huius magnae Civitatis diei 6 novembris 1738 exhibitis, in quibus refertur instrumentum diei 24 novembris |119| 1704 in actibus Bernardi, quo huiusmodi obligatio contra eumdem Oliosi in iisdem bonis stipulatur, qua obligatione tenetur ipse solvere quotannis eidem cappellae ducatos novem. Alterum capitale, ducatorum ducentorum quinquaginta, fundatum appetit contra dominum Franciscum Ruzenente quondam Ioannis in eius bonis, reddens quinque cum dimidio pro quoque centenario, ut constat ex instrumento emptionis cum locatione diei 24 septembris 1696, in actis domini Alexandri Florii notarii, exhibito. Ex quibus duobus capitalibus exiguntur singulis annis troni centum quadraginta et unus et etiam unus marculus, qui reditus cum non sufficient ad implenda

omnia onera a testatore imposta, praedictus reverendus dominus Antonius Pesaro supplicavit ut ipsa ad vires eorumdem redditum reducantur et ita et cetera. Reverendissimus dominus provicarius generalis antedictus, visa institutione huius officiaturae consideratisque conditionibus et oneribus eiusdem, visis documentis capitalium existentium consideratisque considerandis auditoque etiam admodum reverendo archipraesbitero nec non domino Antonio Bettelloni, sindico contratae Sancti Stephani se, nomine etiam rasoniorum eiusdem contratae, submittente decreto |119^v| favendo et auditio praeterea domino Ioanne Vareno, priore venerabilis collegii dominorum notariorum Veronae se quoque suo et Collegii sui nomine, praedicto decreto faciendo submittente, Christi nomine invocato, a quo et cetera, decrevit, cum constet huiusmodi officiaturae cappellanum amovibilem fore et esse a testatore institutum cumque celebrare teneri personaliter, deinceps ipsa officiatura neminem investiri posse in titulum sui patrimonii, sed, cum modo eadem inserviat pro parte tituli huiusmodi praedicto reverendo Pesaro ipsum in eadem remanere posse donec alias de sufficienti titulo provideatur, onerans ipsum ad adimplendum onus personaliter celebrandi. Praeterea, cum ex summa tronorum 141.1 detrahendae sint librae 3 veronenses, quae sunt 94 pro paramentis iuxta voluntatem institutoris et remaneant troni 137.1, decrevit ut quot annis celebrentur missae nonaginta et una, iisdem assignando eleemosynam triginta marculorum pro quaque, iuxta morem huius regionis, ita tamen ut, si redditus augeantur, augeri quoque debeat missarum numerus, salvis in reliquis conditionibus dispositis in praedicta institutione et ita et cetera, omni et cetera.

|120| Termini generales assignati pro exequendis ordinationibus in praesenti visitatione. Pro illis quae spectant ad sacramenta, terminum statuit duorum mensium; quatuor pro illis quae sacristiam et altaria respiciunt; sex vero pro illis quae fabricam et ecclesiam concernunt.

[Nota: da questo punto iniziano le pagine di documenti presentati dai rispettivi parroci; sul manoscritto sono prive di numerazione, perché si tratta di fascicoli distinti. Per favorire la lettura, si è provveduto ad una numerazione a matita, senza calcolare le numerose pagine bianche]

|121| A - Parochialis ecclesia SANTI DONATI AD COLUMBAM Veronae.

|122| In visitatione solemni ecclesiae parochialis Sancti Donati ad Columbam, facta die dominico 14 mensis ianuarii anno salutis 1742 ab illustrissimo ac reverendissimo domino domino Ioanne Bragadeno episcopo veronensi, comite ac sanctissimi domini nostri papae praesule domestico et assistente. Relatio status ecclesiae facta a me Ioanne Tretio, eiusdem ecclesiae rectore. Die 14 ianuarii 1742 in visitatuine Sancti Donati praedicti praesentati per admodum reverendum dominum Ioannem Fretium, eiusdem parochialis archipraesbyterum, parendo et cetera.

|123| De titulo et consecratione parochialis ecclesiae Sancti Donati ad Columbam. Hodiernus titulus parochialis ecclesiae, cui ego Ioannes Tretius, licet imparibus meritis, rector praesum, est Sancti Donati ad Columbam; divo quippe Donato episcopo et martyri Aretino dicatam esse liquido. Constat tum ex nomenclatura, quae passim ei tribuitur, cum ex icona in pictoria tabula efficta ad altare maius huius ecclesiae, qui eundem martyrem refert inter ethnicos milites et paratum carnificem constitutum, atque episcopalibus indumentis circumvestitum, postremo etiam ex titulo super eandem pictoriem tabulam maioribus litteris constituto; qui eiusmodi est Deo optimo maximo divoque Donato dicata estque Paschalis Ottini, praestantissimi pictoris veronensis opus egregium. Antiquior tamen titulus huius ecclesiae fuit Sanctorum Donati et Ambrosii de Columba, quaemadmodum ex veteribus notariorum tabulis et huius ecclesiae antiquioribus codicibus satis constat, quae vetus nomenclatura etiamnum a nonnullis tabellionibus in eorum actis usurpari conspicitur. Quamvis ignoretur utrum haec ecclesia pontificalis consecrationis honore insignita unquam fuerit, quum neque in huius ecclesiae tabulis, seu actis, neque in aliis huius civitatis tabulariis seu monumentis compertum unquam id fuerit; utri simile tamen est consecratam olim fuisse; |124| quod coniici facillime potest ex tribus rubris crucibus inter spheericos orbes, rubri item coloris, depictis; quae anno 1720, dum iussu meo ecclesiae paries lateralis in cornu epistolae constitutus pro instaurazione perumperetur, detectae fuere; quas nolui ab artifice calci deleri, murove obtegi, eo ut in episcopali ecclesiae visitatione cernantur ab antistite ac privilegio celebrandi stata die consecrationis officium ac missam, si illi videbitur, ab eodem ecclesia haec in posterum decoretur. De numero altarium huius ecclesiae deque eorum iuribus ac titulis. Quinque altaria omnino haec habet ecclesia, nempe: maius, Deo optimo maximo divoque Donato dicatum; duo alia, ad latera praefatae aerae maioris, erecta alterum scilicet ad cornu evangelii divo Genesio martyri sacrum, alterum vero ad cornu epistolae divo Carolo episcopo et confessori dicatum; quae tria altaria, quod mihi constet, nullo posesionis iure nullaque dote fruuntur. Duo deinde alia altaria habet: unum iuxta alterum, in medio utroque latere ecclesiae posita; quorum quod ad laevam templi partem erectum fuit beatae Mariae Virginis ab angelo divini puerperii nuntium accipienti dicatum agnoscitur ab egregie ibi

depicta tabula manu Claudi Rodulphi. pictoris [125] celeberrimi veronensis. Hoc altare anno 1633 testamentariae voluntati quondam nobilis domini Sertori Lizzari obtemporans, Elisabeth eius uxor vidua erigi iussit dotavitque praediis redditibusque ab eodem eius marito testamento relictis, ea conditione apposita ut quotidiana ibi missa celebretur. Hoc iuspatronatus eiusdem altaris – cum onere instituendi capellanum sacerdote qui, ex redditibus praediorum adsignatorum, missam ad idem altare celebret – a nobili Lizzariorum familia ad nobilem dominum Gasparem Brenzonum, nescio quo pacto, translatum fuit, qui eo iure nunc potitur; ac summa in Deum pietate permotus, nuperrime illud altare suis sumptibus ad elegantiores formam traduxit ac reverendum dominum Dominicum Armani eiusdem altaris cappellanum instituit, qui quaue die per annum, sacrum ad idem altare faciens, imposito munere fidelissime fungitur. Alterum vero altare, quod e regione antescriti altaris est ac solum mensam atque alli adhaerentia latera ac perystilia, gradusque infimos e lapide habet, quum nondum superiori eius parti manus artificis pro eo absolvendo admotae fuerint; quodque beatae Mariae Virginis titulo olim nuncupatam fuisse antiqua huius ecclesiae monumenta testantur; hoc vero tempore ob ligneum divi Antonii patavini coloratumque iconem a praedecessore meo Laurentio Morlati religionis ergo ibidem collocatum, divi Antonii titulum nactum est, ad nobilem [126] Gulientiorum familiam iure patronatus a primaeva eius erectione pertinet. [A margine: testamentum hoc vides in actis domini Caroli Corrobioli notarii die 29 augusti 1641. Quod legatum confirmatum fuit ab eodem testatore in iisdem actis alio posteriori testamento die 30 aprilis 1643] Ad hoc altare singulis totius anni diebus festis unam missam celebrari testamento suo iussit reverendus Hieronymus Montius, olim huius ecclesiae rector, adsignato illi capitali septingentorum argenteorum pro censu exigendo collocandorum, a quo censu sacerdoti capellano pro antescritis missis satisfiat, electo ab eodem testatore, in eius rei commissarium huius ecclesiae parocho, qui quoque tempore illi regendae in posterum datus fuerit, tum pro capitali investiendo, cum pro exigendo censu persolvendoque. Qui capellanus, eodem iubente testamento, a primogenito eiusdem familiae Gulientiae, annuente tamen eiusmodi electioni parocho, semper est eligendus isque hodie est reverendus Ioseph Levo sacerdos, qui testamentariam praefati Montii iussionem singulis totius anni diebus festis sacrum faciendo fideliter implet. Hoc altare tabula titulari decoratur ab egregio pictore Bernardino India veronensi picta. Haec quinque huius ecclesiae altaria consecrata olim fuisse nequaquam creditur, quum omnia consecratum lapidem habeant, qui portatile de more appellatur. Praeterea in hac ecclesia missa una singulis totius anni hebdomadibus, qua die in hebdomada sacerdoti magis libuerit et ad quocumque altare huius ecclesiae maluerit. Celebratur ex testamentario legato quondam Marci Antonii Fassinae, in actis quondam domini [127] Marci Antonii Mauro notarii, qui testator Fassina societati laicæ sanctissimi Sacramenti huius ecclesiae domum quam ipse in hac paroecia incohabat suo eodem testamento reliquit, [a margine: Hoc testamentum Fassina in quo legatum eiusmodi est habetur in actis praefati domini Mauro die 12 martii 1729] ut ex pretio eius domus iuxta leges venditae capitale ac census institueretur quo eadem missa celebrari perpetuo posset ac legati huiusmodi eamdem societatem ad perpetua futura tempora executricem instituit, quamvis sacerdotis capellani electionem alii laicæ societati, quae infra commemorabitur, perpetuo ipse legaverit. Porro sacerdos capellanus, qui hanc missam pro implendo legati iussu celebrat, est hoc tempore reverendus dominus Ioseph Bruscus, qui ab eodem testatore in ipso testamento suo electus fuit; quo sacerdote vita functo aut alio quovis modo a capellaniae iure cessante, idem testator oratorio seu societati laicæ sanctorum Philippi et Iacobi in sacello Sanctorum Viti et Modesti prope plebanicam aedem Sancti Proculi huius civitatis collectae, cuius, dum inter vivos ageret, idem testator Fassina confrater fuit, ius delegavit capellanum huiusmodi perpetuis futuris temporibus eligendi, cum assensu tamen, circa personam sic electam, huius ecclesiae parochi pro tempore existentis; licet – ut antea commemoravi – commissarium ius agendi ut legatum suum executioni mandetur, eodem testatore iubente, penes officiales societatis sanctissimi Sacramenti huius parochialis ecclesiae perpetuo resideat. Reverendus idem Bruscus, modernus capellanus, suo quidem satisfacit [128] muneri iniunctum sibi missarum numerum hebdomadarum totius anni numero respondentem celebrando, sed saepe praepostera ac minime legato Fassinae obtemperante ratione. Solet enim modo ter seu quater in hebdomada sacrum facere, ut pro totidem futuris hebdomadibus officium suum anticipando impleat; modo vero postponendo ter aut quater idem facere, ut pro totidem elapsis hebdomadibus satisfaciat quibus missam eiusmodi celebrare praetermisit. Quod, ut fatear quod ipse censeo, non est ferendum, quum haec sacisfaciendi ratio eidem testamento Fassinae adversa sit; in eo enim legato disertis praecipit verbis ut quaqua hebdomada sacrum fiat nullamque ei facultatem praebet pro libito suo impletionem officii sui anticipandi vel posthabendi. [129] De iurepatronatus huius paroeciae seu de iure parochum eligendi. A pervetusto atque immemorabili tempore quemadmodum licet opinari privilegio ac iure, cuius initium et caussa hactenus sunt incompta, parochum suum elegendi soli in tota hac civitate paroeciae huius seu vici, qui etiam vicus Feraboum antiqua nuncupatione appellatur, incolae potiuntur;

quemadmodum ex complurium electionum eiusmodi testimonii in acta quae extant cancellariorum huius viciniae relatis unicuique licet agnoscere. Ratio vero seu modus huius ecclesiae rectorem eligendi huismodi est: postquam huius ecclesiae rector sacerdos e vivis excessit, paulo post a duobus viris, qui ceteris vici huius hominibus quoad civilia tanquam capita praesunt, qui deputati vulgo appellantur, quorum alter e nobilium, alter vero e plebeiorum ordine sumitur, singuli patresfamilias seu pro ipsis unus tantum ex unaquaque familia, servatis servandis, ad comitia in parochiali ecclesia habenda pro novo eligendo parocho convocantur. His statuto die simul collectis, quos inter duo deputati primarium locum assidendo tenent, ad huius ecclesiae regimen concurrentes presbyteri ad se statuendum coram coacta vicanorum multitudine a viciniae nuntio compellantur; quibus praesentibus, singulorum nomina atque agnomina palam per cancellarium enuntiantur iisque postea e comitii loco dimissis, ad suffragia pro unoquoque eorum ferenda proceditur. Qua re ad exitum iam perducta enumeratisque per |130| deputatos pro unoquoque concurrentium datis suffragiis, ille tandem pronuntiatur electus qui numerosiora quam ceteri propitia suffragia obtinuerit. Hic deinde ad constitutam diem, duobus deputatis aliisque e paroecia compluribus comitantibus, coram episcopo sistitur eiusque iuridice facta electio eidem episcopo a deputato primario enuntiatur. Quo facto, antiest electo sacerdoti diem dicit ad se coram sistendum pro examine subendo; qua die, ubi is parem accepto honori onerique naviter pro positis quaestionibus respondendo se ostenderit, a praesule adprobatur eique inox ab episcopali curia spiritualis possessionis titulus in scriptis traditur; quo accepto, in ecclesiae sibi traditae possessionem, rite ac legali servata forma, intromittitur. Haec igitur omnia tum contigere quum ego, licet immerens, huius ecclesiae rector electus fuit; quod actum fuit quartadecima ianuarii die, sanctissimo Iesu nomini sacra, anno post Christum natum 1725, veronensem ecclesiam tunc regente illustrissimo ac reverendissimo domino domino episcopo Marco Gradiaco, a quo exemini expositus adprobatusque ab eius episcopali curia die 23 eiusdem mensis possessionis titulum in scriptis accepi. |131| De societatibus laicalibus in hac ecclesia existentibus deque earum oneribus. Duas tantum in hac ecclesia laicorum societas institutas novi, societatem nempe catechismi seu doctrinae christiana et iam memoratam societatem sanctissimi Corporis Christi titulo, venerandam. Quarum prior – ut autem – est alterae multo antiquior et nulli – quod neverim – iniuncto oneri subiacet; altera vero, nempe ea quam dixi Corporis Christi quaeque, quum antiquibus in hac ecclesia instituta vigensque – nescio qua causa – extincta obsoleverit, antecessoris mei Laurentii Morlati opera denuo revixit; nonnullis gravatur oneribus, quae hic statim numero: primum est illud quo tenetur solvere sacerdoti capellano stipem ex collocato sibique obtingente capitali numorum provenientem pro una in singulis annis hebdomadibus missa, quam idem capellanus in hac parochiali ecclesia celebrat vi legati a quandam Marco Antonio Fassina testamento suo conditi, cuius eadem societas commissaria est; quod antea a me commemoratum fuisse satis memini. Alterum est illud quo mihi parocho seu potius meo altari maiori tenetur quotannis solvere cereae libras sex, id est cereos dimidiae librae duodecim die dominico intra octavam Corporis Domini, qui dies societati solemnis est ac plenaria peccatorum indulgentia confratribus elargita concelebrandus. Tertium denique, quo mihi item solvere debet die 31 decembris cuiusque anni tronus duodecim seu meo sacrario pro a me traditis quaque vice capellano |132| antescrito, sacris ad sacrificandum adhibendis vestibus ceterisque omnibus quae eidem ad id muneras rite obeundum sunt necessaria. De numero animarum huius paroeciae. Quoquo anno paulo ante paschalia festa dominicae Ressurrectionis a me parocho fit accurata animarum meae spirituali procurationi creditarum recensio ac singula paroecialium hominum nomina cum adiecto agnomine tum marium cum foeminarum ac puerorum, quorum solummodo aetatem enuntio in libellum *Descriptio animarum* inscriptum, adiecto etiam singulis nominibus numero, a me referuntur. Numerus igitur animarum quas anno proxime superiore 1741 circa paschalis festa recensui, omissis tantum militibus equestribus qui in stativis, vulgo *Quarterio* ad geminas portas Braydae sitis degunt, eo quia eo tempore, principis nostri imperata facturi, a civitate aberant, ad hanc totam summam redigitur quam hic videndam exhibeo, nempe: mares Chisti Corpus sumentes sunt numero 300; foeminae item communicantes sunt 343; parvuli nondum ad Eucharistiam sumedam admissi sunt 232; tota horum summa est 875. In hoc toto animarum numero nemo est – Deo iuvante – qui annuae |133| paschalis confessionis et communionis preecepto sit inobediens. De sacerdotibus clericisque minoribus in hac paroecia degentibus. Praesbyteri clericique minores in hac paroecia degentes sunt infrascripti: Reverendus dominus Nicolaus Vigani Canella de oppido Malsesini, huius diaecesis sacerdos meusque in animarum cura primarius adiutor, aetatem habens annorum 38 atque cum episcopali mandato ab annis decem sacramentales fidelium confessiones excipiens. Reverendus dominus Franciscus Bertini, sacerdos veronensis aetatis annorum septuaginta circiter, ab annis circiter quadraginta confessarius cum episcopali mandato, qui hoc sacro munere fungitur in templo divi Lucae huius civitatis, inter eiusdem ecclesiae sacerdotes capellanos adscitus. Reverendus dominus Paulus Marogna, sacerdos oriundus a Pruno, huius diaecesis sed ab annis

quadraginta Veronae degens, aetatis annorum circiter octo et quinquaginta; ab annis 22 confessarius cum episcopali mandato, nunc monialium etiam confessores excipiens. Reverendus dominus Alphonsus Maselli, sacerdos patria veronensis aetatis annorum 33 mensium 5 dierum 10; ab annis septem circiter confessarius eorumque plerisque cum episcopali mandato. Reverendus dominus Bernardus Pantini, patria bergomus, sacerdos aetatis annorum 33. |134| Reverendus dominus Ioseph Ghedini, sacerdos veronensis aetatis annorum circiter triginta. Reverendus dominus Ioannes Baptista Baroni, sacerdos patria veronensis, aetatis annorum circiter 27. Venerandus clericus Franciscus Antonius Saiani, diaconus de pago Plicante huius diaecesis, aetatis annorum 23 mensium 3. Venerandus clericus Lazarus Luchini, patria veronensis aetatis annorum 19, prima tonsura et quatuor ordinibus minoribus insignitus. Venerandus clericus Laurentius Ballini de oppido Pozzolengo huius diaecesis, aetatis annorum 21 completorum, primae tonsurae et quatuor ordinibus minoribus initiatus. Venerandus clericus Gregorius Palamidese de suburbio Sanctae Luciae extra, aetatis annorum 21, nondum nullo ordine et ne prima quidem insignitus tonsura. De obstetricibus hanc paroeciam incolentibus. Omnino unam habet haec paroecia obstetricem, quae est nempe: Apollonia uxor Caroli Trotti. |135| De schola catechismi seu doctrinae christianaee huius ecclesiae et de alia simili schola in ecclesia Sanctae Agnetis, huic parochiali ecclesiae subiecta. Scholam catechismi seu doctrinae christianaee haec habet ecclesia de qua supra disserui, quum de societatibus laicalibus egi. Haec igitur schola omnibus operariis qui necessarii sunt fini bene instituendi pueros christiana fidei legisque praeceptis eosque stata hora colligendi eosque intra ecclesiam optima disciplinae ratione continendi minime caret; quorum gradus et munera magistrorumque item numerum ad discipulorum hic infra exhibeo. Duo visitatores, qui sunt dominus Ioseph Bertini, dominus Ioannes Baptista Campetti; primarius prior, qui sub se alterum habet, vocatur dominus Angelus Cacioleti; secundarius prior est dominus Valentinus Donatelli; cancellarius est dominus Carolus Angeli. Magistri, quorum in numero sunt sacerdotes sex ac totidem clerici minores, reliqui autem laici, sunt numero 56. Discipuli qui in suas quique classes dividuntur sunt numero 100; ii qui quartam classem ut aiunt, de more facimus, idest omnes simul discipulos instituimus post exercitium docendi |136| per classes sumus per vices: ego parochus et reverendus Nicolaus Vigani curatus. Quemadmodum mihi licet adimadvertere ab omnibus qui aliquo officio sive illud sit ceteros gubernandi, sive parendi funguntur, leges omnes adamussim servantur, quae in libro typis edito regularum pro iis qui piissimum huiusmodi opus excent continentur. Quod autem attinet ad comuniones tertia die dominica cuiusque mensis a confratribus de more faciendas, id si ab omnibus adimpleatur aut a nonnullis negligatur impleri a libro penes scholae cancellarium positum, in quo haec adnotantur, cognosci facilime potest. De schola doctrinae christianaee in ecclesia Sanctae Agnetis. Alia est schola doctrinae christianaee pauperum in ecclesia huic parochiali ecclesiae subiecta Sanctae Agnetis, quae uti ecclesia ipsa, ita et ipsa schola mihi subesse, prout definitum iam fuit, quoad spiritualem gubernationem quovis tempore debet |137|. De ecclesiis seu oratoriis quae sunt intra limites huius paroeciae. Quum ab anno salutis 1625 sancta Domus Misericordiae intra limites huius paroeciae erecta quaque memorato anno initium suum habuit neque ad proxime praeteritum annum 1737 semper interrupta continuacione huius parochialis ecclesiae spirituali iurisdictioni subiecta fuerit, quemadmodum ex multiplicibus testimoniis librorum, tum veterum cum recentium, eiusdem meae ecclesiae colligere quisque facile facile potest, memorato tamen anno 1737, post obitum reverendi domini Hieronymi Bruni, eiusdem Sanctae Domus sacerdotis capellani, praetextu cuiusdam bullae Leonis X pontificis maximi, quae tum demum post tantum annorum decursum producta in lucem fuit nullumque omnino usum antea nunquam habuerit, mihi et paroeciae meae, ad quam mea ecclesia iurepatronatus attinet, antescryptam iurisdictionem ab eiusdem Sanctae Domus gubernio adimere fuit intentatum mihi ab omni sacramentorum intra illam Domum administratione interdictum perpetuo fuit. Cuius rei caussa per me admonita huius paroeciae vicinia eaque legitime convocata, ab eadem iniuriosam iurisdictionis suaee ac meae erectionem vindicare, datis suffragiis Sstatutum fuit. Res deinde eo deducta fuit, ut ad iudicium serenissimi principis nostri ab utraque parte delata lis fuerit. Sed et ne tam graves impensae, quae utrique parti impendebant, non levem eidem iacturam parerent, satius visum fuit totam rem utrinque componere; quod demum peractum fuit, |138| quibusdam productis capitulis quae ab utraque parte adprobata ac serenissimi principis auctoritate firmata fuere; quibus tota intra eam Domum sacramentorum administrandorum facultas mhi interdicitur, extra vero baptizandi, matrimonia celebrandi, paschalis communionis intra eam domum quibuscumque degentibus qui tamen non sint ex eorum numer, qui officio alicui pro eadem Domo sint addicti, ii enim omnino excipientur administrandae; et mortuorum denique corpora ex eadem sancta Domo, si paroeciani mei fuerint, ad meam seu aliam ecclesiam christiano funere tam quam parocho deferendi, mihi ius omne concessum fuit. De ecclesia Sanctae Agnetis. [A margine: Ecclesia Sanctae Agnetis, de qua hic agitur, annexa, aggregata et incorporata fuit huic ecclesiae parochiali Sancti Donati ad Columbam a

